





735

~~3109 Truro~~
VII. 4. 25 49. a. b.





DE RECTE GERENDO
EPISCOPATV

MONITA
DOMESTICA

A

MATTHIA DE BVZENIN
PSTROCONIO primùm Præmilienſi, deinde Regni
Supremo Cancellario & Episcopo Vladislauienſi, Ne-
potibus ſuis MATTHIÆ & STANISLAO
Fratribus germanis LVBIENIIS olim data; poſt ab
altero eorum STANISLAO deſignato Episcopo Lu-
ceorienſi ſcripto comprehēſa, & ad MATTHIAM
tunc Chelmenſem Episcopum directa.

*Eiuſdem de Ore, Vita, & Morte ſupradicti
MATTHIÆ PSTROCONII*

A

MARTINO STARCZEWSKI DE
cano Lanſicienſi, Gneſnenſi Varschoniēſi Canonico,
SRM Secretario in lucem edita.

POSNANIÆ,

In Officina Ioannis Wolrabi, Anno Domini, 1629.



DE REPT. GERRM...
EPI SCOPATA
MONTA
DOMINICA

UNIV. THOMAS



JAGELLONICA

I. 77181

MARTINO STARCK...
...
...
...
...
...

ILLVSTRISSIMO ET REVEREN-
DISSIMO DOMINO

D. MATTHIAE
LUBIENSKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS
GRATIA EPISCOPO
POSNANIENSI

MARTINVS STARCZEWSKI
Decanus Lanciciensis, Gnesnensis, Varschouienfis
Canonicus, Sacræ Regiæ Majestatis Secreta-
rio omnem precatur prosperitatem.



ERRE EQVO ANIMO NON
potui Illustrissime & Reuerendissime Domine,
aliquot lucubrationes Fratris Tui Illustrissimè
Domini Episcopi Plocensis delitescere, nec veni-
re in lucem. Itaq̃ duo ista Opuscula, quæ pridem
illè scripsit, & priuatim paucis communicata,
apud se retinuit, ego sub Tuo nomine & auspicio in publicum
usum profero. PSTROCONII vicia, sub eius ex hac vicia mor-
tali exitum scripta, annis ab hinc prope viginti. Eiusdem de
rectè gerendo Episcopatu domestica monita viriq̃ vestrum
alim data, nuper cum ambo Episcopi renunciati essetis, ex me-
moriam pristina disciplina, habitoq̃ ea de re sermone Illustrissimo
vno D. Episcopus Plocensis recensuit, Teq̃ alloquens, fraternè

(:)

1726

P R Æ F A T I O .

erga Te amoris viua & spirantia expressis monumenta. Ego
Vester Client, quod me tanti hac opusculi dedicatione inter-
feruerim nominibus, fortassis audaciæ, sed non temeritatis ve
accuser, commerui. Dabis Tu inprimis veniam, meque per Vestræ
vestigia ad virtutis culmen erigentem fulcies attolleque pater-
na benignitatis Tua manu. Vale diu feliciter, Clientem^g Tuum
patrocinio iucaris. Varsouia Calendis Martij Anno Domini,
M. DC. XXIX.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ
Dominationis vestræ

Client

MARTINVS STARCZEWSKI
Secretarius Regius.

MONITA DE RECTE GE RENDO EPISCO

P A T V



QVI AD EPISCOPALE munus vocantur, eos summâ opemiti oportet, vt & functionis eius magnitudinem, & suas vires diligenter expendant. Rectè enim ijs existimant, qui huius dignitatis amplitudinem & potestatem humanâ voce explicari non posse censent. Diuinum est quod suscipiunt, arduum & difficile, quod se effecturos profitentur. Eorum est Dei in terris obire vices, curare & efficere, nè quis eorum, qui illorum fidei commissi fuerint, pereat, vt omnes rectam & Orthodoxæ fidei & Christianarum virtutum, quæ solæ hoc nomine ritè censentur, normam teneant, denique vt sicut in cælo, sic in terra fiat voluntas DE I nomenque ipsius sanctissimum honorificetur. Et muneris quidem istius rectè obeundi rationes satis sacris institutis præscriptæ sunt, neq; necesse foret aliundè eas petere, si sedulò incubuerimus iis non tam euolendis quàm opere exequendis: sed nescio cur ea magis animo obuersentur, quæ ipsi ab aliis accepta, non

A

solum

Episcopale
munus qua
le & quan
tum sit.

Mat. 6. 11. 11.

MONITA DE RECTE

Visitatio
per Diocē-
sim suam
Matthie Lur-
bienski tūc
Episcopi
Chelmen.

solum ad mentem, sed ad calamum etiam, reuoca-
uerimus, quod te & fecisse & facere scio. Ita enim si-
mul ac munus Episcopale suscepisti, ad illud ritè ge-
rendum animum te adiecisse video, vt omnes diurnas
nocturnasque horas ei solitudini impendendas
ducas. Testis ego sum eius studij tui, quod nè alios
quidem lateat, biennio isto, ex quo Episcopus fa-
ctus es, vniuersam lustrasti Diocēsim, nullus remo-
tus locus, nullus adeò abstrusus angulus, quem non
adieris, quem non inspexeris salutaribusque; monitis &
institutis nō correxeris. Neque id in laudem tuam à me
dictum quisquam existimet, vera quidem illa & so-
lida est gloria, quæ ex rectè factis petitur, sed cam
alij suspiciant narrentque; mihi, qui me, te alterum
esse volo, parcius de tuis virtutibus dicendum est.
3 Satis inuidiæ, nescio an merito nostro vtriq; nostrum
incumbit: minus æquo animo ferre videntur plerique,
duos fratres nouo & hætenus in Polonia vix
audito exemplo Episcopos & Senatores esse; nec
desunt qui initia fortunarum nostrarum accuratius
inspiciant, nosque; nimium creuisse tacita indignatio-
ne mussitent: ignari videlicet quæ rationes nostro-
rum incrementorum fuerint, quibus laboribus, &
quanto tempore, tota ferè ætate, in obsequiis Eccle-
siæ & Reipublicæ acta, quidquid id est quod no-
his inuidetur parauerimus. Sed sinamuseos suo in-
dulgere genio, cum è contra non desint Principes
Senatus, quibus aliquando in publicis functionibus
nostra qualiscunq; industria placuit, de fide quidem
nostra nullus vnquam vel questus fuit, vel dubita-
uit: vtriusque; nostrum, postquam priuata optimorum
Parena

GERENDO EPISCOPATV.

Parentum cura, studiorum occupationibus perfun-
cti sumus, institutio domesticâ Matthiæ Pstroconij
auunculi nostri disciplina formata est, qui vir qualis,
quantusue fuerit, facessat modo alienæ virtutis pes-
sima æstimatrix inuidia, vel futura ætas fatebitur.
quanquam & multi viri graues eo iam vita functo,
quando liberum & suspicione adulationis solutum
est vniuscuiusq; iudicium, satis luculentum dederūt
virtuti eius testimonium. Et nè alios recenseam, suffe-
cerit Regis nostri Sigismundi Tertij censura, qui tā-
tū solet tribuere Pstroconio, vt & Senatorē illum pru-
dentem, & optimū Episcopum fuisse confirmet, plu-
rimumq; & virtutis & meritorum eius memoria de-
lectetur, tantiq; illum faciat, vt & nos sanè libenter
fateamur, plurimum Regiæ gratiæ nobis Pstroconij
nomine accreuisse, facilioresq; ad honores liberali-
tatemque Principis aditus, nos eo titulo, quod ex ei-
us institutione prodierimus, habuisse. Petrus Tilicki
Episcopus Cracouiensis, quamuis olim Pstroconio
ex æmulatione partium parum æquus, vita functū
non alio nomine nisi religiosissimum Sacerdotem, o-
ptimum Episcopum eum appellare solebat. Stanisla-
us Zolkieuius Supremus Regni Cancellarius Exer-
citiuumq; Capitaneus, cuius virtuti nè aduersa qui-
dem fata quidquam detrahere potuerunt, Casan-
dram Polonicam Pstroconium appellabat, quod pru-
dentissima illius consilia, & verissimæ de rebus futu-
ris coniecturæ parum æquis auribus acciperentur,
parumq; , vt in corrupta Republica euenire solet, ef-
ficaces essent. Sed Pstroconius, vt probè nosti, nostris
etiam scriptis ab inuidiæ morfu & obliuione vindicatus

4
Matthias
Pstrokon-
ski quan-
tus vir in
Ecclesia &
in Rep.

5
De eodem
iudicium
Sigif. 3. R.
Pol.

Petri Tylic-
ki Ep. Cra-
couien. &
Stanislai
Zolkeuij
Cancellar.
R. P.

MONITA DE RECTE

catus est. Cæterum ita totius vitæ studiorumq; illi-
 us rationes accommodatæ fuerunt, vt nihil spectasse
 vnquam aliud, nihil cogitatione complecti existima-
 ri potuerit, nisi, cui materno voto puer sacratus di-
 catusq; fuit, sacerdotium. Et quamuis optimo &
 ingenio & iudicio pollenti non deesset variarum re-
 rum noticia, ea tamen potissimum excellere conten-
 debat eruditione, quæ ad ritè Sacerdotalis Episcopa-
 lisq; functionis munus obeundum maximè esset ido-
 nea. Itaq; adolescens eos & in celeberrima Cracoui-
 ensi Academia ingenij sui formatores ac magistros
 delegerat, qui non minus pij quàm eruditi essent; & Ro-
 mæ, post habitis alijs occupationibus, soli Sacrorum
 Canonum studio acquiescebat. A Stanislao Karn-
 couio Archiepiscopo Gnesnensi postea euocatus, &
 Ecclesiasticis functionibus admotus, nulla alia rema-
 gis optimo Principi & Sacrorum Præsidi placuit,
 quam quod videret, cum doctum, prudentem, pium-
 que esse Sacerdotem, idoneum qui arduum quoduis
 in Ecclesia munus obeundum susciperet. Talis in au-
 la Regiâ, ad quam à Ioanne Tarnouio Regni Procan-
 cellario necessario suo vocatus fuit, de eo fuit opinio,
 omnes vti virum Sacris addictum, ab omni labe im-
 munem pudicumq; suspiciebant. Testis & ego sum,
 sæpe illum cum curis publicis distineretur questum
 fuisse, quod nō potius Sacerdotij munia obiret, quod-
 que ijs magis occupationibus, quæ ad curam Reip.
 pertinerent, quam sacris Sacrificijs vacare cogeretur.
 quanquam ille nullis vnquam arduis etiam occupati-
 onibus impediri potuit, vt non plus temporis sacris
 functionibus colendæq; & exercendæ pietati impen-
 deret,

6
 Matthiæ
 Pstrokon-
 ski studiū
 sacerdotio
 accommoda-
 tum & pie-
 tas insignis

deret: sciebat optimè meliores secernere horas, quas sacris orationibus & sacrificijs, cæteris solutus curis, tribueret: vacabat sæpe sacris etiam lectionibus, ac inter alios Diuinarum rerum interpretes, potissimū delectabatur aurei oris lacteo fonte Diui Ioannis Chrysofomi eloquio, eius laudatos ab omnibus de Sacerdotio libros nocturna diurnaq; versabat manu, tantumq; illius assidua lectione profecerat, vt quotiescunq; vel in publico vel in priuato colloquio de Sacerdotio sermo incideret, Pstroconius Chrysofomi ore loqui videretur: parcius quidem dum adhuc in Aulâ esset, hac de re miscebat sermonem; sed renunciatus Episcopus Præmislien: quo me & te iam cum probè Regi notos & in Reipub. negotijs aliquot annis sub disciplina Pstroconij & Tarnouij versatos secum duxerat, cæteris alijs postpositis curis, in eam solam incubuit, vt iniunctum susceptumq; Episcopale munus rectè obiret, atq; ita curandæ subditorū saluti ritè incumbere, ne suæ deesset. Multa ille sæpe nobiscum hac de re contulit; sed ego habitum ab illo Brzozouia sermonem, cum memoria, quæ cum tenax erat, mandauissem, dandum hoc putavi & nomini illius & nostro fraterno amori, vt cum ambo, quod ille futurum, dixerat, ad gerendos Episcopatus vocaremur, illius dicta & salutaria monita scripto comprehensa tibi in memoriam reuocarem. Meminisse autem te arbitror, cum primum ad Dioccesim accessisset, & Brzozouium, quod oppidum est ditionis & iurisdictionis Episcopi Præmyslien: venisset, statimq; Lublinum, quò ad corrigenda Patriæ iura eorum periti Comitio-

28
7
Libri Diui Chrysofomi de Sacerdotio quàm illi familiares.

8
Eius iam Episcopi Præmisliæ. frequēs de Episcopatu sermo à Stanislaſo Lubienio scripto cõprehensus

6
MONITA DE RECTE

rum autoritate lecti conuenturi erant, quod ipse quoque ex eorum esset numero, ire cogeretur, ex suscepto eo itinere, quod Lublinum hoc tempore de peste suspectum esset, reuersum, quasi in quodam portu ex periculosa tempestatis iactatione collectum, cepisse ferio secum expendere muneris Episcopalis dignitatem, dignitatiq; adhaerentia onera. Annus is erat Sexcentismus Primus supra Millesimum isq; in exitu, cum ego tum grauissimo Mense Nouembri oppressus catarrho oculis annuo morbo lippientibus admodum laborarem. Cupiebat eo tempore Pstroconius adire Cathedram suam & initia Episcopatus sui feliciter auspicari, sed cum Praemissia ob suspicionem pestis vitaretur, ille interim dum ea lues defauiit, vnius mensis otium nactus, ad piam laboris qui impendebat meditationem conuersus, vt plerumq; solebat tempora bonis conatibus impendere, sic hoc quoq; ita transegit, vt fructum Secreti sui nobiscum communicare vellet. Vtroq; itaq; nostrum accersito ita incipit.

9
Non ego vos arcta sanguinis necessitudine mihi coniunctos, idcirco legi, curarumq; mearum socios esse volui, vt tantum vestra vterer opera; longè aliud est quod prospicio & auguror, neq; me vt probè nobis mea fallunt auguria: saepe enim, vt scitis, dixi vobis, tum cum adhuc spes parua esset, me in Collegium Episcoporum cooptatum iri, iuueni mihi admodum, cum de vitæ statu ineundo solida agitarem consilia, sororem meam, quæ intra pubertatis annos non sine sanctitatis opinione è viuis excessit, in somnis visam, eamq; non solum quod vitæ genus legerem monuisse, meq;

Dissertati-
onis de E-
piscopali
munere E-
xordium.

Sorore de-
functam
Pstrokonis
per quietè

GERENDO EPISCOPATV.

meq; & Sacerdotem & Episcopum futurum prædixisse, verum etiam, quod hætenus vos celavi, & à vobis silentio celatum esse volo, Episcopatum Præmyssien. non esse supremum dignitatis, quem fata mihi destinant gradum: ad Aulam mox reuocabor Vicecancellarius & Cancellarius Regni futurus; cumq; vtroq; hoc Magistratu difficillimo Regis & Reipub. tempore (ciuili parricidialiq; bello arsuram Patriam, scitote) non sine laude perfunctus fuero, in ipso ad eum locum qui meritis meis debetur ingressu, hæsurum me suspicor, & vereor nè cursus vitæ meæ idem sit, qui & aulicarum functionum. Aliam vt video quietem mihi spondent fata: nihil quidem temerè affirmare ausim, sed nescio quid portendit subitus, nec sine meo horrore Sororis, posteaquam hæc, quæ dixi, mihi ostendisset à me discessus: statuatur sanè de me DEVS quidquid voluerit: egone vitamq; meam ad nutum ipsius ita componam, vt nec viuere tædiosum mihi sit futurum, nec mori formidolosum. Sed ad vos redeo, auguror inquam vos, posteaquam ad maturiorem ætatem perueneritis, vtrumq; dignitatem Episcopalem & Senatoriam adepturum, rem nescio magisne appetendam, an omni conatu fugiendam. Video sanctissimos quosq; viros tantopere delatum eiusmodi honorem aspernatos fuisse, vt in speluncis latere, vitæ quoduis periculum adire, patria extorres esse, & voluntarium pati exilium maluerint, quàm tanto oneri subijcere ceruicem. Sanctus Nilamnon cuius nomen fastis Ecclesiasticis ad diem octauam Idus Iannarij adscriptum legimus, cū è solitudine, in qua sanctissimè vixerat, per vim

traheretur.

7 29
vidit, quæ illi totam vitæ seriem & superuenturos honores ac mortem denique prædixit.

10

Sanctissimos quosque Episcopale dignitatem declinasse.

MONITA DE RECTE

8.

traheretur Episcopus Geris in Ægypto renunciandus tanto pauore consternatus esse dicitur, vt inter trahentium magis, quàm deducentium manus fufis ad DEVM precibus impetrato fine vitæ, mori potius quod & obtinuit, maluerit, quam discrimen salutis ex suscepto Episcopatu adire. Illud Sanctissimum Ecclesiæ lumen Diuus Ioannes Chrysostomus quâtopere eam functionem vitârit, vt Sancto Basilio piâ fraude imposuerit, luculenter ipse testatur. Taceo Ambrosium, Gregorium, & multos quos recensere possem, qui pari obstinatione delato honori se subdlexerunt. nôstra sanè ætas vix vnquam tale vidit exemplum, & plerumq; non tam opus laborq; quàm opes appetuntur. Neq; tamen plerisq; vitio vertendum cenfeo, quod inter minus dignos petitores vltro nomen suum profiteantur, vt eos qui cum pares ad tantum munus ferendum non sint, summo tamen studio importunis precibus, nonnunquam etiam, pro dolor, pretio ad obtinendum Episcopatum adspirant, salutari intercessione, excludant: modo ne ij quoq; alia quàm virtutis & pietatis commendatione enitere, cæterisq; humilitate Christiana salua præferri contendant. Sed de adipiscendo Episcopatu vberior erit dicendi locus: in eum enim sermonem impetus quidam animi mei & amor vtriusq; vestrum me adducit, vt ea quæ de rectè gerendo Episcopatu, non modo lectione multorum Sacrarum literarum & Canonicarum Sanctionum Interpretum meditata habeo, verùm etiam quæ ab aliis summis quidem viris, cum quibus ab incunte ætate vixi, vsu didici institutâ oratione exequar. Vos attentas adhibete aures iis audiendis

11

12
Propositio.

dicendis quæ vobis, vel potius illis quibus præfuturi estis Ecclesiis, olim vsui & commodo futura sunt. Ac vtea quæ dicturus sum facilius à vobis percipi possint infixaque memoriæ fortius hæreant, certa mihi methodo vtendum video, & more Rhetorum partienda oratio mea. Dicam igitur qualem esse oporteat eum qui Episcopus renuntiandus est: qua ratione ad gerendum hoc munus vocandus; quid oneris ritè ordinato Episcopo incumbat: qualemue ille se & in Ecclesia & in Reipub. functione præstare debeat. Graue onus me suscepisse videris, ampla enim & angusta est materia, si dicendo explicare & definire, voluero tanti muneris vel excellentiâ vel functione.

EPISCOPI nomen olim quoque Græcis Latinisq; Scriptoribus notum fuit: quotiescunq; enim illi aliquem maiori cum potestate quæ supra reliquos præfides esset designabant, Episcopum appellabant. Sic Cicero ad Atticum: vult Pompeius me esse, quem tota hæc Campana & Maritima ora habeat Episcopon ad quem delectus & summa negotij referatur. Scio à plerisq; aliis magni nominis autoribus id nomen alia functione designari, eos videlicet propriè dici Episcopos, qui præsunt pani & cæteris rebus venalibus, quæ in ciuitate populis ad quotidianum victum necessariæ sunt. Sed hæc vtraq; significatio optimè congruit functioni Episcopali; ita enim ille præesse debet vt pascat & nutriat subiectum sibi populum, præcipuè tamen illius officium in speculativa & pastorali functione consistere videtur. Speculatorem (inquit Dominus apud Ezechielem) constituite. Et cum Petrum Dominus ad huius muneris

B

suprema

13

Dicendoe
râ partitio.

14

Nominis
Episcopi
notatio.Lib. 7. ad
Atticum.
Epist. 11.Episcopus
in Ecclesia
sua Specu-
lator.Ezechiel. 3.
ver. 13 & 33.
ver. 7.

Joan. 21. V.
15. & 17.

15

In Episco-
patu pluri-
mum soli-
tudinis
& periculi.

supremâ cum potestate obeundam functionem voca-
ret: Pasce, inquit, oves meas, pasce agnos meos. Et
quidem non qualemcumq; Speculatorem agere vult
Dominus eum, qui in hac speculâ constitutus est,
non otiosum alieni periculi spectatorem, sed ita de a-
liena salute sollicitum, vt si quid alicui ex iis qui illius
curæ commissi sunt infaustum acciderit, si vel in po-
testatem hostis venerit, vel lethali vulnere ictus fue-
rit, Speculator qui maturè periculum non denuntia-
uit, suo sanguine, sua vita neglectæ custodiæ culpam
eludere debeat. Non enim in hac Spirituali lucta de-
sunt acerrimi & infensissimi hostes, qui in singula
temporum momenta vitæ omnium infesti insidias
struant, interdum etiam structas sub signis infernali-
bus acies producant: neq; vnam pugnæ speciem ex-
pectaueris, & nisi ad omne belligerendi genus instru-
ctus paratusq; sis, nihil aliud nisi tuam interitum, om-
niumq; crudelissimam caiscerationem mox euentu-
ram cernes. In bellis quidem in quibus nobis cum
hoste visibili res est, aut navali apparatu, si à mari pe-
riculum timetur; aut equitum peditumq; turmis, si
per patentes campos hostilis exercitus se effundat, nos
instructos esse oportet, sagittarios sagittariis, hastatos
hastatis, equites equitibus, pedites peditibus oppo-
nimus: insidias vel insidiis eludimus, vel aperto
Marte excipimus: denique curam belli in Duces &
Centuriones partimur, & plerumq; de euentu securi,
pugnæ aleam læti alacresq; subimus, tuta latera, tuta
frons, extrema quoque exercitus pars suos habet de-
fensores. Contra veteranum hostem dolis insidiisq;
assuetum Diabolum nihil securum, nihil fatis tutum.

Ephe. 6. 17.

exia

existimandum est. Episcopo ipsi armato verbo Dei omnia obeunda, omnia munia sustinenda sunt, ille necesse est vt & Speculatoris accuratissimi & Ducis simul & militis fortissimi officio fungatur. nam si ille cessauerit, vel iaduciis fraudulentis, sibi ab hoste imponi siuerit, vel deniq; omne genus luctæ spiritualis non calluerit; nouit hostis vel parte vna, si ea forte neglecta fuerit, pyratis prædonibusque suis eiusmodi prædæ inhiantibus immisis, perfringere munitiones: umbelle & pavidum pecudum genus ferro ferire dente lacerare, & parta victoria omni crudelitate sæuire; Sed si iuxta verbum Dei fortis armatus benè munitam custodierit ciuitatem, pacata quidem erunt omnia, hostis verò frustra rectè custoditis insidiabitur mænibus, irrisus contemptusq; ab iis, quos obsidione cinxerit, sin autem speculatore sopito murum perfoderit, etiam si reliqua munitio integra maneat, semel reperto per quod intret foramine, vix aut nè vix quidem, serò è somno euigilans speculator idemque belli Dux Episcopus illius impetum retulerit. Neq; sola ea que accurata custodia suffecerit, nisi idem qui id munus sustineat omnes pugnandi artes, quibus hostis instructus est, nouerit, & arma quæ commodè cuiq; arti & fraudi hostili opponat, prompta expeditaq; habuerit. Quid enim profuerit vel Lutheranis vel Caluinistis, vel ipsis Arianis, quorum fraudulentum virus altas in Polonia egit radices, obstitisse, eorumq; pestilentem morbum, ne sacræ oues eo inficiantur euitasse, si ij qui sub specie recti in Republica regiminis, quoddam aliud religionis genus introducunt, quæ sanè hæresis latissimè patet, facto agmine it-

Episcopus
quasi belli
Dux & Miles
fortissimus.

Luc. 11. v. 21

17

Nosse debet hostes.

MONITA DE RECTE

18
Pseudopo-
hinc hostes
Ecclesiæ a-
cerant.

Eorum le-
ges contra
immunita-
tem & di-
gnitatē Ec-
clesiasticā
sub Sigis-
mundo Au-
gusto te-
nerant.

19
Eorandem
conatus
impij his
temporib;
contra cle-
ricos.

ne irruerint? Serpit hoc virus iam dudum quod pri-
mis adhuc Sigismundi Augusti Regis annis pullulare
coepit. Ex hoc genere illierant, qui potestate Regia
nationale Concilium ad definiendas sacræ fidei res
indici postulârunt. qui non sacrum modo in hoc Re-
gno ordinem, sed ipsum summæ Romanæ sedis Præ-
sidem temerariis legibus circumscribere ausi sunt.
hinc illæ sanctiones, quibus, vti extra territorium la-
tis impunè non pareretur; Militet Sacerdos, idemque
seculari pareat iurisdictioni: Decimarum ius, & si Di-
uino, Ecclesiastico, Patrioq; iure Clero debeatur, in-
suspensio sit, neq; ius legitimum petenti Sacerdoti, pa-
tris legibus vti liceat: Iudicia Ecclesiastica, quibus
hactenus adulteria incestus, perniuria, hæreses, & si-
miles animarum pestes coercerantur, magisne impiè
ac perniciosè, abrogentur. Nè promoti ad Episco-
patus ad summam Pontificem se referant, sed vti fisco
Regni primi Anni prouentus, quorum aliqua pars in
signum subiectionis more institutoq; Catholico Ro-
mam mittitur, inferantur: Postremo vti cuius quid-
uis in Polonia credere liceat; in Deum ipsum Diuosq;
blasphemus, vti hoc ipso nomine quod tales sunt pecu-
liari lege impietatis securitatem habeant. Videtis &
nunc multos esse, quorum in Conuentibus, in Comi-
tiis non alia auditur vox, nisi Clerum nouis legibus
esse circumscribendum, coercendam Ecclesiastici iu-
ris potestatem, prædia & possessiones sacris vsibus
dicatas, vel militari seruitio, vel pensionibus grauan-
das, easdemq; per vim & fraudem interceptas nè re-
petere liceat, & sexcenta eiusmodi idque, hominibus
Catholicis: authoribus dici & promoueri cernitis.

Vereor.

Vereor ego nè ab hac peste in hac charissima Patria nostra Religioni Catholicæ, & ipsimet Patriæ supremum periculum eueniat. Hoc quidem Rege, quem diutissimè Religioni Catholicæ tuendæ Deus conseruet, imperante, facile ordo noster tueri potest iura sua: pietas enim optimi Principis constanter obsistit, eorum ausibus qui malè erga Ecclesiam Catholicam Ordinemque Sacrum affecti sunt: cæterùm eo vita functo magnum discrimen & periculum imminere video, nisi Episcopi Sacri ordinis Duces, seriò in eam curam incumbant, nè vel sibi imponi, vel se ac iura sua per vim opprimi patiantur. Neque putandum est facile expeditumque id certamen fore, experti sunt maiores nostri quorum plerisque ego noueram, quam anceps sit istius disceptationis alea, cum ab vna parte fauor populi contra Ecclesiam militet, ab alia Hæretici insulent, à fronte verò hi quos Politicos vocari vsus obtinuit, ac rem faciant impetum. Hic inquam, hic animis & viribus opus, & non pastoralis modo, sed penè militari industria, quali olim maiores nostri vsi sunt, agendum inuigilandumque est. Olim erat familiare Episcopis nostris iis emihere dotibus, quæ vulgi animos conciliant, auctoritatemque pariunt, sincera videlicet pietate, eruditione, & liberalitate. Videtis Stanislaum Karnicoutum Archiepiscopum Gnesnensem senem illum quidem, sed ita animi robore vigentem, vt nec Ecclesiæ nec Reipub. desit: ita verò Principis Senatus munus tuetur, vt locus is illi vni conuenire videatur: non affectata est pietas eius, sed sincera, liberalitas verò ita latè se diffundit vt non præsentis modo ætati, sed futuræ etiam suffectu-

20

Ab his extreme
nam Reli-
gionis &
Patriæ ti-
mendum
olim existi-
um.

21

Contra huius
iusmodi Po-
liticos pne-
gna difficil-
is.

Quales E-
piscopus iis
opponi op-
porteat.

22

Stanislaus
Karnicouis
Archiepi-
scopus Gne-
snen. talium
Episcoporum
norma.

Egregia e-
ius pietas
& liberali-
tas.

23

24
Cura pasto-
ralis & do-
ctrina.

25

Dicendis
in Senatu
& auctori-
tas.

ra videatur; ornavit, ditavitq; amplissimis opibus
sponsam suam Ecclesiam Gnesnen. effecitq; ut auctis
stipendiis longè frequentius sacrum illius Ecclesiæ
Collegium redderetur, & triplo plures quàm antea
isthic essent Sacerdotes, qui rei sacræ ritè peragendæ
diebus ac noctibus incumberent. Iam verò Calisij
loco satis oportuno nobilissimo Collegio Religioso-
rum Societ. I Es v Sacerdotum collocato, & dotato,
totq; Gymnasiis constructis, magna etiam eaque per-
petuò duratura in eos impensa facta, qui ex egentio-
re iuventute Polona optimis disciplinis incumberent,
& olim vsui Ecclesiæ & Reipub. essent, an non satis
declaravit, quam liberali esset animo? opes quidem
omnes non augendis & ditandis propinquis consan-
guineisq; suis, sed egentioribus subleuandis impen-
dit; Nemo illi sordes obiecerit, nemo quod maiorem
frumenti & pecoris, quàm animarum Christi sangui-
ne redemptarum curam gerat, quod in prædiorum
quàm in Ecclesiarum putandis rationibus frequen-
tior sit, improperaverit. Tuetur dignitatē authorita-
temq; suam optimis & magno viro magno Senatore
dignis artibus: nec verò ille, ut cum Catone Cicero-
niano loquar, in luce modo atq; in oculis civium ma-
gnus, sed intus domiq; præstantior. Qui sermo, quæ
præcepta, quanta noticia antiquitatis, quæ scientia,
iuris Pontificij, multæ etiam ut in homine nostro lite-
ræ i omnia memoriâ tenet, non domestica modo, sed
etiam externa bella; ego ita eum dicentem audio, ac
si eo extincto neminem essem habiturus, à quo disce-
rem. Hoc & aliorum de eo est iudiciũ, itaq; quoties-
cunq; dicit sententiam, omnes ab ore dicentis pende-
re vi-

re videntur; plena enim est notitiæ antiquitatis
 istius senis oratio, ita vt vnus & legum nostrarum,
 patriorumq; institutorum origines scire, & fædera
 cum externis Principibus & tuendæ salutis commu-
 nis, conseruandiq; præsentis status rationes optimè
 perspectas habere videatur. His illerebus tantam si-
 bi parauit auctoritatem, vt omnibus sit venerabilis;
 vt ad conspectum tanti viri osores Ecclesiæ iurium,
 nè hiscere quidem audeant. Nuper quoq; Hierony-
 mus Rozdrazeuius Episcopus Vladislauien, non e-
 loquentia, hæc enim in homine apud exterarum nationes
 ab infantia ita educato, vt Polonicū idioma ægrè ef-
 ferret, quæ esse potuit? non liberalitate, etsi enim ab
 auaritia & ab omni turpi questu remotus esset, parsu-
 moniæ tamen magis quam moribus nostris congrue-
 ret addictus, tenacior rerum suarum existimabatur,
 vnica tantum sanctitatis & pietatis opinione ita gra-
 tus & amabilis omnibus erat, vt nemo esset, qui non
 eximia animi eius excellentia permoueretur. De Tar-
 nouio meo, quicui in Episcopatu Vladislauien. proxi-
 mè subrogatus est, dicere incipientem mæror & futu-
 ri mali præfaga mens perturbat, nec ea quæ sentio
 fari permittit. Magnus hic est vir & ad magna natus.
 Vt ille cum Vicecancellarius Regni esset, egregia dex-
 teritate orientes ciuiles motus compressit! vt Collegæ
 prærogatiua senectutis & rerum gestarum gloriâ,
 plus sibi arroganti restitit, vt deniq; nuper cum Epi-
 scopatum Posnaniensem gereret Optimates Maioris
 Poloniæ in admirationem venerationemque sui con-
 uertit, & tanquam inter eos, vel ex eis natus eximia
 animi magnitudine parem se cunctis reddidit; Sum-
 mum

26

Hieronymi
 Rozdra-
 zewski Ep-
 iscopi
 Vladislau-
 en, ex vite
 innocentia
 & sanctita-
 te nomen
 magnum
 apud om-
 nes,

27

Ioannes
 Tarnouius
 Episcopus
 Vladislau-
 en. Ecclesie
 & Reipub.
 propugna-
 tor acerr-
 mus.

28

Prematura
mors tanti
Viri à Ma-
thia Pstro.
Konio præ-
dicitur, vñ
cum bello
intestino in
Polonia.

num locum illi deberi non dubito, etsi longiorem vi-
tam fata indulserint magno Ecclesiæ & Reipublicæ
præsidio, futurum certò scio. Sed quæ spes nostræ?
quàm fallaces? quam nullæ? Eloquar? an fileam?
Ostendent terris hunc tantum fata, neq; vltra Esse si-
nent. Ex vate ista. Sed vtinam ego sim falsus vates,
Tarnouium meum vix dum Archiepiscopum Gne-
snensem renuntiatum & eius dignitatis possessionem
adeptum, fatali ietum morbo in complexu meo è vita
cessurum, Mortem eius vel inimicis ipsis, ne dicam a-
micis acerbam fore video, liuor iste qui nunc viuum
arrodit quiescet post fata; virtus eius maxi-
mè tunc desiderabitur, cum turbatis in Patria nostra
rebus non sedito modo, sed bellum ciuile excitabitur.
29 Videtis illum qui tristi arrogancia composita intra-
dentes meditata verba spuit? aliquid certè magnum
molitur. Videre videor totam è sede moueri Polo-
niam, exercitus duci & reduci, Patriam vastari, in-
fausti nominis campos, quorum appellatio à liuidis
tumoribus & vulneribus originem trahit, ciuili san-
guine fædari. Parce miles ferro, parce ciuibus: Vi-
ueres Tarnoui ad ea tempora clauumq; Reipublicæ
Ad Guzo, 30 teneres, non hæc fieri permitteres. Tu ipse Zamosci
decus Patriæ nostræ, mora factorum, si superstes esses,
non sineres alumnum tuum furere, vel tuo nomine ad
concitandam seditionem abuti. Scio certè te & fato
functum, grauius laturum sinistra supræ voluntatis
& Rempub. oppugnari, quem & quam tu semper sal-
uam esse voluisti. Sed ego tacenda locutus vos arcto
31 silentij Sacramento obstringo, illud tantum addam,
miki

mihî ac vobis, quos ego laboris mei socios destino; magnam istarum calamitatum partem exorbendam esse, meum potissimum petetur caput, in me vnum tota incumbet inuidia: ac vtinam meo tantum sanguine furor is sopiri possêt, non mihî acerba mors pro Ecclesia, pro Rege, pro Repub. esset, libens volensq; subire fatum. Summorū virorū commemoratio me à proposito sermone paululum seduxit; redeo & confirmo nullum grauius aut periculosius fuisse, & esse certamen quàm id quod in ordinem nostrum à Politica hæresi instruitur: ad illud sustinendum magna prudentia, magna dexteritate opus est, nec ad pugnam magna nomina maiorumq; imagines, sed vitæ inculpatæ sanctitas, eruditio, comitas, liberalitas adferenda, amorq; & fauor ciuium conciliandus, potissimum studio earum rerum tuendarum, quæ felici & florenti Reipub. statu expetuntur; sit libera nec ad adulationem composita in Senatu vox Episcopi, ille ante omnes re ipsa comprobet sibi curæ esse publicam salutem, hæc vna ars est ad reprimenda inuidorū studia, ad tuendam Ordinis Sacri dignitatem, ad propugnanda Sacrosancta Ecclesiæ iura. Sed à militia ad pascuarias artes reuertamur, non enim speculatoris tantum & Ducis in bello, sed in pace etiam imò semper pastoris officio vult fungi Episcopum Dominus, & quidē ardentissimâ cupiditate quadam; cum enim terras relicturus cum discipulis sermocinaretur, acea charitate, quæ tum ex recentibus manuum, lateris, & pedum vulneribus emicabat, illorum animos in sui mutuam amorem inflammasset; Petrum maiori præ reliquis æstu flagrantem: Amas me inquit

38

Iterum declaratur quales Episcopi contra Politicam hæresim essent obijciendi.

39

Episcopi Pastores.

quit Petre, siue affirmatiuè, siue vt amoris eius, qui scien-
 tem omnia non latebat, professionem eliceret, in-
 terrogauit: cumq; respondisset Petrus optimè con-
 scium esse Dominum sui in eum amoris, non vt mor-
 tem pro gloria nominis sui subiret, non vt ieiunij
 corpus maceraret, non vt continuò vigilaret, non vt
 iniuriâ grauatis opem ferret, non vt orphanis patris,
 viduis mariti loco esset inuixit; sed pascere, inquit,
 gregem meum, hæc erit certissima tui erga me amoris
 testera, si te vitamq; tuam pascendo meo gregi impē-
 deris, amoremq; illum, quem ego sanguinis mei effu-
 sione erga hunc eundem gregem testatus sum, heroi-
 cā imitatione expresseris, si igitur amas me pascere gre-
 gem meum vt liquidò omnibus constet, me à te ama-
 ri Magnum & excelsum imo arduum & difficile mu-
 nus Dominum designare voluisse apparet, cum trina
 professione amoris Petrum ad illud suscipiendum sibi
 obstringeret. Itaq; charitate, quæ summam omnium
 virtutum complectitur, cæteris emineat Pastor Domi-
 nici gregis, non vt olim Saul, quem ad simile mu-
 nus vocatum humeris reliquo Israelitico populo alti-
 orem fuisse sacræ literæ testantur, nam hæc corpo-
 ris elatio mutabilis erat, charitas verò nunquā excidit
 sed semper eadem manet. Tantum verò ea Episcopus
 præ cæteris flagrare debet, vt longè alios post se re-
 linquat. Neq; enim illi aduersus lupos qui videri &
 arceri possunt vigilandum depugnandumq; est, nec
 irrationabile pascendum pecus, cuius etiam si pastor
 per socordiam iacturam fecerit, vel leui poëa, vel æ-
 stimabili multa Domino gregis satisfacet, sed Epi-
 scopo rationabilis Christi grex pascendus est, & con-

34.
 Pastoris mu-
 nus diffici-
 le, in chari-
 tate funda-
 tum.

1. Reg. 9.
 vs. 3.

35.
 Quæ partes
 sint veri Pa-
 storis. seu
 Episcopi.

tra inferni belluas, ad quas arcendas ne adamantina quidem mœnia satis tuta sunt, continuo decertandū. Non est inquit Apostolus nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus. Si oculis cernere liceret infernales istos lupos, & immania monstra, quanto horrore corripere mur, tetras istas phalanges intuentes, non ferro quidem cinctas, sed dolis armatas, contra quas nemo certare potest, nisi qui arma, Diuinâ fabricatâ manu è caelo missa induerit. Grande periculum ab externo isto hoste, sed vide alia his nequaquam minora Paulo Apostolo monstrante. Manifesta sunt inquit ille opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorū seruitus, veneficia, inimicitia, cōtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comestiones & his similia. Neq; enim necesse fuit vt omnia eius generis vitia scripto comprehenderet, cum his enumeratis, illis paria & ab eodem deriuata fonte deprehendi possint. Hæ tam perniciosæ pestes, æquæ gregem ac ipsum inficiunt pastorem, cum alioquin luem quæ ouium corpora infestat, pastor citra noxam tractare possit, fomenta adhibere, vlcera purgare; In curandis autem animæ occultis vlceribus, cautè admodum Episcopo versandum est, tum ne quid ipse labis ex infectis ouibus contrahat, tum vt prudenter fomenta contagiosis morbis admoueat, deniq; vt radices ipsas malorum diligenter inuestiget. Neq; tamen remère curationi quæ sectione peragi solet, manum ad-

Eph. 9.v.
12.

Quæ mala
Pastori à
grege Chri
sti propul
sanda.

Galat. 5. 7.
19.

36.

Eadem ipse
met Pasto
ri, nisi ca
ueat sibi,
timenda.

37.

Quâ pru
dentiâ mor
bos animæ
in subditis
curare de
beat.

moueat, ne si æger contumaciter restiterit, malum magis exasperetur, vulnusque recrudescat, quod dum conuulsissimum dirumpitur, deteriorem facit scissuram. Maxima autem discretionem eum uti oportet, & dispicere num is, qui curandus est vltro morbum suum fateatur, opemq; medici impleret, an, ut plerique quibus & generis splendor, & partæ opes ingentes animos faciunt, quos si redarguere, & iusta castigatone cõercere volueris, excandescunt, magisq; irritantur. Hi blandis appellandi verbis, & leniori tractandi manu, ut aliquando errore & morbo quo laborant cognito, lentis remedijs se curari patiantur; vel deniq; lachrymis & sacrificijs exorandus est Dominus, ut det illis animum notitiæ sui studiosum. Quid verò dicam de his, qui se ab vnitæ Christi oculis segregarunt, quorum mentes impijs dogmatibus Sathanas infecit, qui non doceri sed docere volunt. Non possum celare animi mei lætitiæ quam inde capio, quod videam singulari quadam prærogatiua gentem Poloniam à Deo donatam esse, non patitur ut homines nostri vel facile in errores, quibus orbis Christianus, & maximè vicina nobis Germania infecta est labantur, vel si quis fraude hostili seductus succubuerit, diu ut in errore perseveret. Quanto labore in alijs Regnis contra hanc pestem frustra pugnatur, quantum sanguinis ciuiliis eius rei causa in Gallijs & Belgio fluxit: quot bella exorta: cum è cõtra in Polonia sponte quadam hoc malum subsidat, & aboleatur. Ante annos quadraginta ira ea lues inualuerat ut Senatus quidem maior pars ex Hæreticis constaret, ijdem inter Equestrem ordinem non quidera

38
Hæresis inter animæ peccata facit
leia Polonia curabit
hæresis.

dem numero sed ad quasvis functiones obeundas dexteritate eminent, primasq; & in priuatis & in publicis consilijs ac conuentibus sibi partes vendicarent. Nunc ad paucos ij redacti, & nisi nostros istos Ruthenos Græco Schismati addictos, in subsidium adfiscerent, vix in publico comparere auderent. Sed & hi (itabenè sperare libet de gente nostra & de singulari Dei erga nos gratia) redibunt ad officium & ad sacræ Matris gremium, modo Episcopi, quorum id præcipuum munus est, sedula cura eo incumbere velint, idq; sibi persuaderi patiantur, reliquas omnes virtutum species alijs communes esse, curam animarum, quam rectè Diuus Gregorius Arcem artium dixit, Episcopis propriè competere. Propterea Dominus Seruator noster, cum eos alloqueretur quos ad tanti muneris fastigium euehere volebat his vsus est verbis: Quis inquit fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Etenim qui animum suum excellentibus excolit virtutibus, qui sanctitate cæteris præeminet, meritò quidem is omnium oculos in se conuertit, sed tamen sibi ille magis, quam reliquis utilis est; at labor ille quem seruus fidelis & prudens iubente Domino curæ pastorali impendit, omnium inferuit saluti, & bene expenso talento vberrimum adfert lucrum. Rectè igitur Dominus Pastoris studium erga gregē impensum, amoris & charitatis erga se symbolum esse dixit. Ac optimè quidem nobiscum ageretur, si hac flammâ amoris accensi ad sacerdotium accederemus, nam procul dubio sic animatos Diuina gratia ijs quoque instrueret ornamentis, quæ summo fastigio digna sunt

39
Si sedulitas
Episcoporum
adfit.

Arce artium
cura animarum
Gregorius

Matt. 24. v.
45.

Prælati
Citati præ-
fertur.

40

Etiā per
fectionem

Angelicam
antecellit.

sunt. Plus quàm Angelicam ambiunt perfectionem, qui sacerdotij & Episcopatus dignitatem suscipiunt. Etenim sacerdotium ipsū, in terra quidem & in conspectu hominum peragitur, eius tamen functio ad cælestium rerum classem ordinemq; referenda est: non enim homo, non Angelus, non quæuis alia creata potentia huiusmodi dignitatis author fuit, sed ipse Spiritus Sanctus qui & nunc inuisibiliter ordinatam à se functionem exequitur, & eam mentem mortalibus inspirat, vt Angelorum ministerium animo concipiant. Quæ olim mandante Domino ad ornandum Pontificem prisce legis adhibebantur, ea omnia vmbre erant futuræ sanctitatis, qua animas Episcoporum noui Testamenti exultas esse debere Dominus designabat. illa tintinabula, mala punica, lapides pectori Sacerdotis, itemq; alij humeris eius superpositi, mitra, strophium, vestis ad pedes vsque demissa, lamina aurea, sancta Sanctorum, ingens intus quies, & silentium, sacrificij sacrosancti designabant præstantiam, ad eius tamen dignitatem minimè accedebant. Libenter vt scitis bonas horas impendo legendis libris Diui Ioannis Chrysofomi, ex quoplera q; ea quæ attuli sumpta sunt. Sed libet iam eius verbis, insignem sacrificij & sacerdotij excellentiam explicantibus, meum ad vos exequi sermonem. Tu Stanislac (nam ego dicendo fessus sum) cape librū & lege. Tum ego ab eo quem ille indicauit loco, orsus læta voce pronuncio. Dum conspicias Dominum, immolarum, sacerdotem sacrificio incumbentem ac preces fundentem, tum verò turbam, circumfusam, pretioso illo sanguine intingi ac rubesceri, etiamne

41
Functio E-
piscopalis
nouæ legis
in ornatu
Pontificis
antiquæ le-
gis adum-
brata.

42
Eius sancti-
tas & sacri-
ficij excel-
lentia à D.
Chrysofomo
expensa.
Chrysofomo-
mus de Sa-
cerdot. lib.
9.

te inter mortales versari atque in terra consistere cen-
 ses? an non potius è vestigio in caelos transfereris?
 an non carnis cogitationem omnem abijciens, nudo
 animo mente pura circumspicies, quæ in caelo sunt?
 O miraculum, ô Dei benignitatem, qui cum Patre
 sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium
 manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus
 ipsum excipere ac complecti! Fit autem id nullis præsti-
 gijs, sed a pertis ac circumspicietibus circumfistentiū omnium
 oculis. Num tibi ista contemtu ac despectu digna esse
 videtur? aut eiusmodi ut possit quis contra ea attolli
 atque insurgere? Visne & sanctimoniæ istius excellen-
 tiam alio miraculo perspicere? Pōnito ob oculos He-
 liam illum & præterea infinitam turbam illam circum-
 fusam & sacrificium lapidibus superpositum, tum
 verò reliquos omnes admodum quietos ac tacitur-
 nos, solum autem Prophetam preces fundentem, se-
 cundum id flammam de repente è caelo delabentem
 sacrificiumque ipsum lambentem. mira sunt ista pro-
 fectò ac stupore omnia plena. Ab illis ergo sacris ad
 nostratia sacra transfer: nec ea mira modo esse vi-
 debis, sed etiam omnem stuporem excedentia. A-
 dest enim Sacerdòs non ignem gestans sed spiritum
 Sanctum, is preces diuturnas fundit non quo flam-
 ma caelitus delapsa sacra apposita absumat, sed ut
 gratia in sacrificium influens per illud ipsum om-
 nium animos inflammet, & puriores reddat argen-
 to igni excocto purgatoque. Hoc ergo mysterium
 omnium maxime horrendum, verendumque quis
 tandem qui sanus idem, minime sit, qui que è pote-
 state non exierit fastidire ac despiciere poterit? Igno-
 ras

43

Typo Hæli
 æ sacnficâ
 tis.

44

ras futurum, nunquam, fuisse, vt humanus animi captus sacrificij ignem illum sustineres, sed funditus omnes tunc fuisse interituros, nisi magnum Diuinae gratiae auxilium affuisset? Nam si quis consideret, quantum id sit mysterium, vt is scilicet qui homo ipse sit carne ac sanguine etiamnum constans ijsq; inuolutus, beatæ atq; immortalis naturæ illi fieri propior queat: tum probè intelliget quanto sacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus Sancti gratia dignata fuerit: operantibus enim illis tum sacra hæc quæ dico inchoantur perficiunturq; , tū etiā alia his nihilo inferiora, quæ ipsa ad dignitatis salutisq; nostræ rationem spectant. Etenim qui terram incolunt, atq; in ea versantur, his commissum est, vt ea quæ in cælis sunt dispensent: ijs datum est vt potestatem habeant, quam Deus Optimus neque Angelis neq; Archangelis datam esse voluit: neq; etiam ad illos dictum est: Quæcunq; alligaueritis in terra erunt alligata & in cælo, & quæcunq; solueritis in terra, erunt soluta & in cælo. Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verum corporum solum; Id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsa etiā animā cōtingit, atq; ad cælos peruenit vsq; adeo vt quæcunq; infernè sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam. Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcunq; enim, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quanam obsecro potestas hac vnā maior esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit: cæterum video ipsā eandem

45
Sacerdotū
dignitas in-
gens.

Matt. 18 v.
15.

46
Eorundem
admiranda
potestas.

eādem omnifariam potestatem à Deo Filio illis traditam. Nam quasi iam in cælum translati ac supra humanam naturam positi, atq; nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis si cui ex subditis suis honorem hunc detulerit, vt potestatem habeat quoscunque velit in carcerem conijciendi, eosdemq; rursus laxandi, beatus ille & admirandus iudicio omnium fuerit: at verò qui à Deo tanto maiorem accepit potestatem, quantò cælum terrā pretiosius est, quantò etiam animæ corporibus præstant, hic vilè eo vsque dignitatem accepisse nonnullis videri debet, vt vel in illorum cogitationem descendere queat, reperiri quandoq; posse vnum aliquem ex eorū numero quibus tāta illa quæ paulò ante dixi fuerint à Deo concedita cui ipsi munus suum sordescat, quique donum sibi à Deo datum despiciat! Procul, procul hinc facefsat huiusmodi insania. Insania enim manifestaria despiciere tantum istum Principatum, si ne quo neque salutis neq; promissorum bonorum cōpotes fieri possumus. Nam si non potest quis in Regnum cælorum ingredi nisi per aquam & Spiritum regeneratus fuerit. & Qui non manducat carnem Domini & sanguinem eius non bibit, æterna vita privatur: omnia autem hæc haud aliter quam per sacrosāctas illas manus perficiuntur, manus inquam sacerdotum: qui fiet vt itra illarum opem aut gehennæ ignē euitare quis possit, aut repositæ in cælo coronæ præmia consequi? Hi enim sunt, hi sūt inquam quibus tū cōcreditæ sunt spirituales parturigines, tum etiā baptismatis partus à Deo est commissus: per hos ipsos

Quam, imò
sanus est,
qui despice
cit.

Ioan. 3. v.
1.

Ioan. 6. v.
51.

47

Sacerdotū
honor

Christum induimus, vna cum DEI Filio sepelimur, & beatæ carnis illius membra efficimur, quo nomine Sacerdotes meritò non modo plus vereri debemus, quàm vel Principes vel Reges, verùm etiam maiori honore, quàm parentes proprios honestare. Hi enim, ex sanguinibus & voluntate carnis nos genuerunt: illi verò authores nobis sunt natiuitatis eius quàm à Deo habemus, beatæ regenerationis illius, libertatis veræ, atq; adeo adoptionis eius qua nos per gratiam Filij Dei sumus effecti. Corporis lepram purgare, seu veriùs dicam haud purgare quidem, sed purgatos probare Iudæorum Sacerdotibus solis licebat, neq; nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio ac concertatione sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At verò nostris Sacerdotibus nō corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Quare iudicio quidem meo, qui istos despiciunt contemnuntq; multò sceleratiores ac maiori supplicio digni fuerint, quàm fuerit Dathan vnà cum suis omnibus. Illi enim tametsi Principatum ad se non spectātem sibi vendicabant, tamen miram quandam de eo Principatu opinionem animo conceperant: id quod declarauit ingens rei concupitæ studium. Hi autem tum cum iam Sacerdotalis honos incrementum, ornatum, præstantiam magnam accepit, contra quam illi, sed tamen multò maiora audent. Neq; enim perinde est ad despicientiæ rationem subducendam, honorem aliquem indebitum appetere, & tot tantaq; bona fastidire: verùm facinus hoc tantò illo est grauius, quantò inter se dissident. interuallo fastidium & ad

48
 Exempto
 res Sacer.
 dotū quan
 to scelere se
 obstringūt.

& admiratio. quis ergo tam infelici genio natus, tot tantaq; bona fastidiat? Et quidem neminem existere talem dixerim, nisi quis furiarum æstro percitus sit. Plura legere volentem interpellat Pstroconius: Cessa inquit & lippientibus parce oculis, ego reliqua exequar. Hæc & multò plura Sanctus Chryso-
 mus dum causas explicat, cur Episcopatus munus su-
 scipere noluerit. Et ille quidem tantus vir, cuius sã-
 ctitatem, eruditionem, eloquentiam, Diuinarumq;
 literarum notitiam, & illa ætas quã vixit admirata
 est, & omnis deinceps posteritas communi compro-
 bavit consensu, indignum se profitebatur & minimè
 idoneum ad obeundam functionem Episcopalem,
 nos qui nè vmbra quidem vel doctrinæ vel pietatis,
 si cum eo conferamur habemus, vltro nos non vocati
 obrudimus. De alijs nihil dico, de me apud vos
 pauca. Cum me non mea voluntas sed quãdam vi-
 tæ ratio, & cum aliorum tum præcipuè Tarnouij
 mei, simul ac Vicecancellarius Regni renunitatus est,
 de me opinio, ad aulam Regis euocãfset, ita duode-
 cim continuos annos in eã exegi, vt semper mihi vi-
 derer alienum à me gerere negotium, cumq; iudicio
 Optimi Principis, post multos exantlatos labores,
 binæq; in Sueciam nauigationis tolerata pericula,
 Referendarius Regni renunciatus essem, & omnes
 imprimisq; Tarnouius suaderet, nè ab Aula me re-
 mouerem, feci illo inuito, simul ac occasio se se ob-
 tulit, vt rude me donari peterem, ac vt Episcopatum
 Præmyslien. acciperem, non opum, hæ enim exiguæ
 sunt, magnitudine adductus sum, sed diu iam in sede-
 rat animo, omnes alias præter Sacerdotalem functio-

49
 S. Chryso-
 stomus indi-
 gnum se esse
 scilicet Episco-
 patu.

50
 Pstrokonij
 qualis apud
 Aulam Re-
 giam vitæ
 ratio.

51
Eius ad E-
piscopatu
promotio.

nem minimè decere eum, qui ab ineunte ætate mater-
terno etiam voto sacris obeundis addictus est. Ætas
ipsa quinquagesimi anni monebat me, nè inter seruitia
Aulæ versarer, nè isthic consenescerem, & quo-
niam alia conditione inde me explicare non poteram,
nisi vt Episcopatum acciperem, feci id, veluti inuitū
me deducuntibus eò fatis. Scitis ipsi qualis fuerit am-
bitus noster, quos prensauerimus, quorum suffra-
gia implorauerimus. Illi ipsi, qui minus æquo ani-
mo ferebant, nos Magistratu aulico ornatos, ad ali-
os subinde honorum gradus succrescere, quibus su-
specta erat industria nostra, authores accipiendi Epi-
scopatus promotoresq; mei fuerunt, maturè cauē-
tes nè quando illis anteponeberemur. Sed hæc à Diui-
na pendent voluntate, ad cuius nutum me actiones-
que meas componere hætenus semper studui. Hanc
ipsam ad Episcopatum Præmysliensem promotionē
meam, licet ea amicis quibusdam nostris minor spe
nostra esse videatur, ita accipio, vti ab eo profectam
qui in vinea suâ vnicuiq; certum stabilemq; assignat
locum, in quo & suæ & aliorum salutis curam gerēs.
diurnum denarium mereri possit. Diligenter sanè om-
nibus qui Episcopi renunciantur curandum est, vt
recta eorum sit ac legitima vocatio. Diuus Chryso-
stomus sui temporis calamitatum omnium causas, ad
temerarias Episcoporum electiones refert, id quod
pulchro capitis & reliqui corporis firmat exemplo.
Caput, inquit, valentissimum esse oportet, vt prauas
exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte fursū
ascendentes dispensare, easdem ritè atq; ordine com-
ponere possit. Nihil verò deterius fieri potest quam
cum.

52.
Ad Episco-
patum te-
merè, ele-
cti, in v-
liles & in-
epti sunt ad
res geren-
das.
Lib. 9. de
Sacerdot.

cum Episcopi culmen honoris præcipiti saltu conscē-
dant. Et vt Sanctus Gregorius ait; Qui discipulus
non fuit in considerata ambitione magister efficitur,
& quod possit docere non didicit, sacerdotium tantū
gerit in nomine, nam laicus in sermone pristino per-
seuerat & opere. Quomodo ergo pro aliorum pecca-
tis intercessurus est, qui sua primitus non desleuit?
Talis enim pastor non munit gregem sed decipit,
quia dum contradicente verecundiā non potest alijs
hoc quod ipse non facit, persuadere, quid est aliud
nisi vt plebs Dominica prædonibus populanda rema-
neat, & inde sumat interitum, vnde salutiferæ pro-
tectionis magnum deberet habere subsidium? Hæc
ille. Nec quisquam sibi de fauorabili populi testimo-
nio blandiatur, quem propria occultorum criminum
arguit conscientia.

Sed iam de modo adipiscendi Episcopatus, quod
secūdū fuit eorū quæ dicēda proposuimus dicamus,
de quo multa adferri possēt à sacris præscripta Cano-
nib⁹. Olim equidē maiores nostri, nō per aulicos am-
bitus, nec p indigna nomine sacerdotali obsequia au-
læ foricibus impēsa, sed ritē & Canonicē facta electio-
ne ad functionē Episcopālē vocabātur, non tamen ne-
gauerim Regio quoq; fauore optimos Episcopos ad-
iutos. sic olim Aaron Abbas Tineccensis Casimiri
primi Regis voluntate ad Episcopatum Cracouiensē
promotus fuit. Et Zbigneo Olesnicio nauata in Gru-
neualdensi bello Vladislao Jagelloni opera ad eādem
Cathedram aditum fecit. Vt meritō dubitari possit,
iure ne Cromerus noster tantopere deploret, transla-
tam à Collegijs Sacerdotum ad Reges Episcoporum

d 3;

desū.

Lib. 4. Ep.
59. ad Chil-
deben. Re-
gem Fran-
cor.

53

Quæ ratio
ad Epi-
scopatum
vocandi E-
piscopos fa-
ctores.
Canonica
electio.

Regius fa-
uor.

54
 Ex quo in
 Polonia o-
 lim in eli-
 gendis Epi-
 scopis na-
 tus abusus.

designationem. Eo equidem, & pauló superiori tẽ-
 pore, quo ille scripsit, multi Regia abusi gratia per-
 perã sedes Episcopales occupabant. Casimirus Ter-
 titus primus iura Ecclesiarum frustra obnitente Ponti-
 fice inuasit. Quanquam & Vladislaus Iagello plus
 sibi in abrogando Episcopatu Cracouien. Petro Vis-
 so, & in eius locum Alberto Iastrzembecio ambiti-
 oso homine, eodemq; rapaci substituendo iuris quã
 Regibus conueniret, vsurpauerat. Sed Casimirus
 nulla habita ratione vel Sacrorum Canonum, vel Iu-
 ris Ecclesiæ, vel deniq; summi Pastoris authoritatis,
 ita Ioannem Grusciniũ Regia potestate Episcopum
 Cracouiensem renuntiauit, vt simul sacrilegas ma-
 nus eijciendis ex Ecclesia Collegij Sacerdotum Basili-
 cæ Cracouien. viris sacratis admouerit, Iacobum
 Sienienium Pontificis Romani authoritate nitentem,
 armata vi oppreserit, eieceritq; & proscripserit. Hæc
 minimẽ Christiano digna Principe ab eo facta poste-
 ri quoq; imitati sunt. Et Sigismundi Primi quanquã
 alias religiosissimi Regis temporibus, scimus ambi-
 tum plurimum valuisse, cum nonnulli muliebri eti-
 am fauore, ad adipiscendos Episcopatus niterentur:
 deinde Sigismundo Augusto res Regni moderante,
 vt alia ordinis nostri dedecora sileã, & Ioannes Dro-
 ionius Episcopus Vladislauiensis Hæreticorum fau-
 tor non sine causa vt hæreticus audiit. & Iacobus
 Vchanscius Romana notatus censura, Regia & lai-
 cali potestate fretus, eundem Episcopatum Vladisla-
 uiensem per vim inuasit. Nec Stephanus Rex eã su-
 spicione caruit, quasi quendam Episcopatum largiti-
 one flexus contulisset, viro quidem digno, sed cor-
 radẽ

radendis coaceruandisq; pecunijs nimium intento. Longè à nostris temporibus ea labes, nec alia Principis nostri mens, nisi vt matura deliberatione, meritisq; & virtutibus expensis dignos præficiendos Ecclesiæ curet Pastores. Sed vt electio non semper optimum inuenit, ita Principum quoq; iudicia interdum citra eorum culpam falli & decipi contigit. Aliquando enim generis splendor, nonnunquam emendicatus fauor, & ambitiosa eorum qui in Republica plurimum possunt commendatio obrudit parum idoneos, Principiq; facit necessitatē, tales renuntiandi Ecclesiarum Præsides, quorum cum ipsum deinde pœnitet. Nollem morem hunc inolescere, qui iam paulatim serpit, priuatim Principi quidquam largiendi; & si enim optimo animo nec malo fine ea fiant, nec aliter existimare oportet vel de Principe, vel de liberalitate eorum qui largiuntur; sed nescio cur apud inuidos & ignaros malè res ista audiat, & pleriq; eas donationes sinistrè interpretentur, dicantq; interdantem & accipientem naturalem, quãdam citrà omnem consentum nasci obligationem. Neque placet nimia quorundam in obsequiis aulicis sedulitas, & ita iactata merita, vt sub eorū nomine magis digni & idonei deterreantur; sūt qui in Aula cosenscere velint, quos cōuersatio interdū sacerdotio minimè digna delectet, qui ineligendis & reijciendis Episcopatibus fastidiosi sunt: hunc nolo quod multum negotij habeat, illum vt opulentiozem appeto. Nec Tilicius noster nuper adepto Episcopatu Varmienti satis existimationi suæ consuluit, quod manus Vicecancellariatus, quemadmodum iure nostro

55
 His temporibus correctus.

56
 Donationes Aulicæ

Obsequiorum sedulitas importuna.

57

nostro præscriptum est, non deposuerit, id quidem quoniam volente populo & Rege fecit, recte se fecisse existimat: sed omnis in patrias leges præuaticatio mihi minimè probatur, & vereor nè olim existât, qui ad eius exemplum pessimis artibus idem vsurpent, minis & terroribus, alieno Reipublicæ tempore, cum summa ordinis nostri inuidia, suam stabiliant coniunctam auaritiæ ambitionem. Mihi de Tilicij facto parcius idcirco dicendum, videtur, quod in proximis Comitijis hominum opinione nescio an Regiæ voluntati consentaneâ, illius in hoc Magistratu successor designarer; verùm ille feliciter fungatur hoc munere, ego me illius industriæ admiratorem magis quàm osorem semper præstabo, nostro quoq; labori non deerit campus, dum interim in Ecclesiasticæ functionis palæstra desudamus. Cæterum vt nunc is est rerû status, nō omninò improba-
uerim hunc quoq; ad Ecclesiasticas functiones adipiscendas per aulicorum negotiorum experimenta cursum, per quem summos plerosq; viros optimos Episcopos euasisse videmus. Lubricus equidem ille est, & si rem accuratius expendere voluerimus, vix ab ambitionis labe immunis, & idcirco ferè sacris legibus vetitus. Sanctus Gregorius triplex Simonix genus statuit. Aliud, inquit, munus est ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio est, subiectio indebitè impensa, munus à manu, pecunia, munus à lingua, fauor. Pulchre q; idem Sanctus Doctor ostendit excusas ab omni eiusmodi munere, cum habere debere manus, qui sacre functionis alteri conferendæ habet potestatem.

§8
Aulicorum
negotiorû
experimenta.

Sed hic in
Simoniam
procliuus la-
psus.

statem. Neq; tamē id ita accipiendum censuerim, vt
 omne obsequium damnum Si oculus tuus, inquit Sal-
 uator noster, simplex fuerit, totum corpus lucidum e-
 rit. In omni humana actione finis est, qui vel laudem
 vel vituperium operibus nostris cōciliat. nam si quis
 ea intentione ad Aulam accederet, vt nudo obsequio
 Principi impenso sacerdotiū sibi deberi existimaret,
 is fortasse illiciti ambitus merito suspectus haberetur.
 Sed enim cum obsequia Principibus nostris omnes de-
 beamus, eaq; cum illis præstamus, per diuersas fun-
 ctiones vel Patriæ vel Ecclesiæ vtilem nauamus ope-
 ram: quæ & si non eo fine impenditur vt in locum
 mercedis sacerdotium vel Episcopatum exigamus;
 tamen rectè & licitè Principis voluntas & liberalitas
 ad eos potissimum extenditur, quorum diuturna ex-
 perientia exploratam habet industriam, pietatem, do-
 ctinam, quos scit functionis Ecclesiasticæ & Senato-
 riæ munus præclare gesturos, idq; in Republica
 nostra locum potissimum habet: non enim Episcopi
 nostri satis suum munus explent, si in Ecclesiastica
 functione ita quemadmodum sacris Canonibus præ-
 scriptum est versati fuerint, alia quoq; negotia illis
 tractanda: alia onera sustinenda incumbunt, de qui-
 bus infra vberius agemus. Non placet mihi quod ple-
 riq; iuuenes nostri Clero adscripti, simul atq; è scho-
 lis excesserint, statim ad Aulam Regiam se confe-
 runt, & Ecclesiasticarum functionum ignari, secula-
 ribus occupationibus assuescunt. Antea quidem Epi-
 scoporum contubernia Scholæ erant iuuenum Cleri-
 corum, recepti inter Episcopi Familiares erudiebantur,
 instruebantur, formabanturq; ad omnē pietatē, nō se-

E

gni ouo

38
 Nisi recto
 sine fuerint
 temperata,

39
 Alias red-
 dunt Eccle-
 siasticos Se-
 natorum di-
 gnitati ido-
 neos.

Illi tamen
 prius for-
 mandis esse
 in aulis Ep-
 iscoporum,

60
 Quod fami-
 liare fuit
 Karnkouio
 Archiepisc.
 Gacfacu.

Eius mira
 Ecclesiasti-
 ca nobilitas
 per va-
 rias functi-
 ones Exer-
 citio.

61

gni otio, non turpi desidia trāsigebātur bonæ horæ.
 Carncouius meus Archiepisc. Gnes. cui ego ut cætera
 omnia, ita iuuentutis quoq; meæ prima debeo rudi-
 mēta, solers accuratusq; fuit in tractāda & erudiēda
 optimi cuiusq; indole, neminem segnem, neminem o-
 tiosum esse sinebat, cum sēper plurimos haberet, ali-
 os sacris ordinibus destinatos, alios iā Presbyteros, co-
 hortem ille hanc suam Prætoriam appellabat, tali co-
 mitatu illustrior erat, quàm si nescio quā phalange
 armatā septus esset. Possē recensere plurimos eius
 institutionis alumnos, partim viuos, partim iam vi-
 ta functos, qui ab eodem in lucem producti & mon-
 strati fatis summis in Republica Magistratibus functi
 sunt, & adhuc funguntur, neq; quenquam hacte-
 nus pænuit institutionis Carncouianæ. Vigebat &
 adhuc viget (quanquam nunc optimus senex annis
 fesus languere videatur) in Aula Carncouij non in-
 dustria modo tractandis quibuscunq; arduis negotijs
 par; verū etiam singularis omnium virtutum æ-
 mulatio, itaq; multi viri non modo doctrina sed gene-
 ris etiam nobilitate præstantes sibi eum Ducem & ma-
 gistrum legebant, ille vicissim optimi cuiusq; inge-
 nij indagator accuratus, vnumquemq; cui negotio
 aptuserat admouebat: vegetior aliquis erat, eius ope-
 ra in obeundis legationibus, in sacris ad populum fa-
 ciendis concionibus utebatur, alium literis suo nomi-
 ne scribendis, hunc maiorum monumentis euoluen-
 dis, illum præsentis æui rebus gestis memoriæ man-
 dandis præficiebat, omnes sedulo operi esse intentos
 cogebat, singulorum laboris pensa frequenter exigebat.
 In eiusmodi palæstra virtutis & industriæ nos
 exercita

exercitati serò ad Aulam Regiam accessimus, & quãuis in comitijs ad huc coronationis moderni Regis in numerum Regiorum Secretariorum Carncouij & Hieronymi Rozdrazeuij Episcopi Vladislauien. cõmendatione relatus essem, non nisi quarto post anno, cum Tarnouius necessarius meus Regni Vicecancellarius renuntiatus, vt publicis Cancellariæ functionibus moderandis præessem voluisset, vocatus ad Aulam veni. Quæ res non magis mihi quàm Carncouio decori fuit, quod ex eius contubernio productus multis veteranis Regis Secretarijs prælatu esse. At nunc qui per alias vias Aulæ se insinuant, eos videmus vel nullis adhiberi negotijs, vel certè impensis fessos facta patrimonij iactura inglorios domum redire, quod si qui sunt quibus ampliores facultates ad faciendos sumptus suppetunt, ij pessima aulicæ vitæ consuetudine corrupti ad commensationes, ad indecentes familiaritates, ad indignas sacro ordine occupationes se transferunt, hos, quamuis olim (potest enim id fieri) ad Episcopatus promouebuntur, putatisne vnquã hominibus persuasuros, vt de eorũ vitæ puritate solidam concipiant opinionem! Ex Episcoporum itaq; institutione satius est prodire, quam in Aulico otio corrumpi, & semel facta existimationis iactura vilem fieri.

Sed & ad aulam nollem nisi vocatos venire clericos, eosq; tales, qui negotijs tractandis adhiberi & præfici possint, ætate matura & initiatos ordinibus, quos non pudeat (pudet enim plerosq; id re profiteri, quod nomine præseferunt) frequenter ad Altare Dei comparere, sacris sacrificijs faciendis instare,

Ab huiusmodi exercitatione Karnkouij accessit ad Aulam Regiam Pstrokonius.

Et Hierony
mus Ro-
zdrazeuius
ex curia Pij
V. Pontif.
Max.

deniq; in omni genere pietatis exercendo sedulos esse, non vanæ opinionis & sanctitatis aucupandæ gratia, absit impia hypocrisis; sed quia id maximè decet Sacerdotes, hoc munus, hæc gloria illorum est. Memini cum Hieronymus Rozdrazeuius ex pia Pij V. Pont. Max. institutione ab Henrico Rege euocatus ad Aulam venisset, ac vt in illa pietatis officina didicerat & assueuerat, quotidie sacrosanctū sacrificium offerret, primò quidem non modo apertis pietatis osoribus id mirum visum, sed nō nullos etiā Ecclesiasticos viros ægrè tulisse illum vnum reliquis alijs eminere velles, verum postquam solida Magni viri patuerunt pietatis fundamenta, tum demum non Aulici modò, sed ipse Rex Stephanus plurimi cum facere cepit, ad eò vt mox multis, qui annorum & meritorum prærogatiua præstare videbantur, prælatum cum Episcopū Cuiacien. renunciauerit.

Idcirco eti-
am Matthi-
as & Stani-
slaus Lubie-
nij à Pstro-
conio ad
domesticā
instituti-
onem ab au-
la euocati.

Ioannes
Węzyk pa-
ri modo a-
pud Ioan-
nem Tar-
nouium in-
stitutus.

Libenter vobis talia propono exempla, & alios magis quam me ipsum: quamuis vobis ipsis satis notum sit, mihi quoq; pietatem semper cordi fuisse, & in ea palam exercenda inuidorum vuculas contempnissse. Ego vtrumq; vestrum ab Aula idcirco abduxi, quod ea adhuc essetis ætate, quæ accuratius formanda instituendaq; est, sed spondeo & polliceor olim vberrimos fructus ex hac mea conuersatione vos percepturos, facilioremq; ad omnia aditum habituros. Laudo & probo quod noster Ioannes Węzyk, cum quo vobis non modo quod eiusdem sit Sieradicensis Territorij, sed magis deinceps in studijs scholasticisq; exercitationibus arctior cōtracta familiaritas intercedit, non tantoperè ad Aulam properet, malit-
que

que in Consortio Tarnouij Episcopi Vladislauen. subsistere; ius summa integritate pro eo dicit, & in scribendis nomine eius Epistolis operam ei nauat. Ingenium eius mihi valde placet, parcus sermone, sed quotiescunq; verba facit, licet ea titubanti lingua, quod vitium iuuentutis magis quam naturæ in eo est, proferat, ex ijs tamen apparet acere illius iudicium, eruditio singularis, humani Diuiniq; iuris noticia. Quid multa? Hic quoq; non in aula modo gratus honoratusq; erit, sed fortasse olim parem cum Tarnouio sortietur fortunam. ego certe quantū in me erit eius faucebo incrementis. Paucis adumbraui vobis iter quod haecenus ij qui ad Episcopatus euecti sunt institerunt, vobis quoq; per eandem gradiendum erit viam, eò vos & fors vestra, & vitæ genus, & mea deniq; promotio ducet, quæ omnia perinde accipere debetis, ac si Deum vocantem sequeremini, ille enim his medijs & modis quos antea destinat in Candela-bro Ecclesiæ suæ collocare consuevit.

Electionis Capitularis præsertim veræ vix iam, vllibi aliquod extat vestigium, in cuius locum in Polonia, Regia designatio seu Nominatio successit, hanc Reges nostri initio temerè vsurpatam, postremò concedentibus summis Pontificibus sui iuris fecerunt. In designati Episcopi genus vitam moresq; inquiritur, ab ijs quibus id negotium expræscripto Sacrosancti Concilij Tridentini incumbit; nuper quoq; cum ego postremò Romæ esse piæ memoriæ Gregorius XIII. amplissimo dato rescripto, hunc ipsum inquisitionis modum luculenter definiuit. Interea antequam summus Pontifex Regiam approbat designationem, gra-

64

Electio Cas
nonica in
Polonia in
Regiam No
minatione
transiit

Inquisitio
in vitâ no
minati.

Bulla que
incipit Onus
Apostolicæ
seruitutis.

65

Nomina
tus nihil iu
ris habet in
bona Eccle

MONITA DE RECTE

37
 astica an.
 e Papæ ap.
 probationē

Abusus nō
 sine nota
 auaritiæ.

Factū præ-
 clarū Lau-
 rentij Go-
 slicki ex
 Præmysli-
 si in Posna-
 niensem E-
 piscopatū
 migrantis.

66

Vocatio-
 nis diuinæ
 in ambicā

uissimarum pænarum denuntiatione interdictum est, ne designati in Ecclesias bonaq; illis adscripta, quidquam iuris sibi arrogent: sed præceps habendi desiderium protrudit plerosq; , vt omnes pænarū obices audacter transiliant, & dum priuilegium anni gratiæ quod solis vita functis debetur, in subsidium cupiditatis suæ adsciscunt, duos in solidum, dum ex vno in alium transferuntur, Episcopatus tenent: neq; ingeniosis desunt illicitæ possessionis fucata nomina, priorem Episcopatum retinent sub titulo exigendorum, redituum meritis suis debitorum, alterum custodiæ eorum causa quæ illis post obuentura sunt. Auaritiæ hæc sunt noxia velamenta, quibus & nonnulli iam vsi sunt, & alij fortassè quibus eadem frōs, deinceps vtentur. Aliter mecum egit Laurentius Goslicki proximè ex Præmysliensi ad Posnanien translatus Ecclesiam, nam cum eo prætextu redituum, Episcopatus Præmysliensis semissem à me petere potuisset, iocatus aliquantisper mecum quasi aliquid esset exacturus, postremò non tam meis rationibus, quàm rei veritate & æquitate adductus falsus est, minimè æquum videri, tali pensione egentiorem Episcopum Præmyslien ab Episcopo Posnanienensi grauari. sic ille, sic alij qui ab omni auaritiæ suspicione alieni esse voluerunt, factitârunt; nec quisquam hactenus quod sciam fuit, qui ex Episcopatu Russiæ ad opulētiores Regni Episcopatus promotus exactiōne eiusmodi onerare præsumeret successorem.

Sed ijs quos in eo gradu excellentiores & heroicæ quædam virtutes collocârunt, vt omnium opinione digni Episcopatu censcantur, imprimis diligenter

ligēter attendenda spectāda que est Dei vocatio, quæ licet nō per ea signa quibus & veteris olim legis præcipui, & Christi coruscante fide pleriq; ad hoc munus gerendum designati & pertracti sunt, diuinitus monstrata appareat, multis tamen se prodit modis, vt eum qui se Diuinæ voluntati totum commiserit latere nequeat. Et imprimis sciendum est à Deo non vocari manifestè indignos, nec tacitis inspirationibus tales præueniri, vt supremam istam dignitatem desiderent, si enim ille vetat dari Sanctum canibus, & mittere margaritas ante porcos, quomodo impulsu tacito accerfet eos, qui ad instar vel rabidorum canum ira exæstuant, vel impurorum porcorum impuri & sordidifæda libidine diffluunt? Nouit ille peccatores vocare vt tales esse desinant, & efficere vt iusti atq; ad omne opus & munus sacrum obeundum idonei fiant: eos verò qui sponte & libenter sceleribus se inquinant nec resipiscere volunt, non inuitat ad sacrum ministerium, sed potius futuros peccatorum medicos ab omni crimine puros esse vult, & saltem tales quos præteritorum actuum syncerè pæniteat. Ieroboam quondam Apostatarius decem tribuum Israel Rex, vt cultum Diuinum viliorem redderet, Deoq; maiorem inferret contumeliam, Faciebat de nouissimis populi sacerdotes excelsorum: quicunq; volebat implebat manū suam (oleo videlicet, quod erat signum vncti sacerdotis) & fiebat sacerdos excelsorum, sic ille ad falsorum Deorū cultum viles adhibebat Sacerdotes. At DEVS noster & dum lex quondam naturalis vige-

do Episcopatū habenda singularis ratio.

Hominēs manifestè improbos non dignatur Deus tali vocatione.

Mat. 7.

Quod per eiusmodi ministros diuinus cultus vilesceret.

3. Reg. 13.

ret

MONITA DE RECTE

67
 Sine voca-
 tione Dei
 Episcopatū
 anhelanti-
 um triplex
 indignitas.

Leuit. 21.

In Prima
 Parte Curæ
 Pastoralis
 cap. 11.

vigeret & postea dum scriptam idem traderet, di-
 gnitatis in eligendis Sacerdotibus primam habuit ra-
 tionem, de qua re dicam postea. Sed ij qui non vocati
 ambiunt Episcopatum, aut propter improbitatem su-
 am vitamq; sceleratam sunt indigni, aut alio quàm
 decet sine, ob terrenum nempè aliquod commodum,
 adspirant, aut medijs modisq; illicitis nituntur; &
 fere semper hæc tria in idem recidunt, nec enim vir
 probus & Deum timens, vel commodi causa ambiue-
 rit Episcopatum, vel ambitum, modis illicitis obtine-
 re contenderit. Tales erant quos in veteri Testamen-
 to ab altaris accessu seверо interdicto arcuit & exclu-
 sit Dominus. Omnis, inquit, qui habuerit maculam
 de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre ho-
 stias Domino, non accedet ad ministerium eius, si cæ-
 cus fuerit, si claudus, si vel paruo vel grandi vel tor-
 to naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si
 albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impe-
 tiginem in corpore. Quæ omnia corporis vitia rectè
 animaduertit Sanctus Gregorius spirituali sensu ad
 animæ maculas denotandas, à quibus puros esse vult
 Dominus non æ legis sacerdotes, & tantò magis Epi-
 scopos, transferi posse. Non sit cæcus, non lippus, nō
 albuginem in oculis non impetiginem habens in cor-
 pore Episcopus, id est, non sit ignorans, imprudens,
 & cuius oculos proprij amoris inordinatæ passionis
 ceu quædam cataractæ obfuscârunt, quiq; perpe-
 rûa libidinis impetigine exæstuet. Non sit idem clau-
 dus, aut fracto pede, vel manu, scilicet qui non re-
 ctâ iret per viam mandatorum Domini, vel robore a-
 nimæ, magnis operibus gerendis & sustinendis pari

GERENDO EPISCOPATV

67

non excelleret. Curuus denique ne sit, hoc est ad res terrenas ne continua propensione feratur, sed caelestia potius illi curae sint, ad caque & ipse omni contentione adspiret, & caeteri vt id faciant dux & author illis sit. Ad extremum non vocat Deus eos qui ambitionis vel dignitatum vel fortunarum studio & desiderio impulsu ad Episcopatum aspirant, qualis ille erat Simon Magus, qui munus Apostolicum vendibile esse putans, obtulit pecuniã ad mercandam sacra dignitatẽ, cui recte Sanctus Petrus respondit, Pecunia tua tecum sit in perditionem: recte & ambizioso dici potest: Ambitio tua tecum sit in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari posse donum Dei: quales erant Dathan & Abiron, qui cum non essent de Tribu Leui, id est, de generatione quaerentium Dominum, quaerentium faciem Dei Iacob, ambiciosẽ summum affectarunt Sacerdotium: quos dirupta terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum. Viui certe descendunt in infernum, quos libido, quos furor, quos radix omnium malorum avaritia, & nullis terminis habendi cupiditas circumscripta, ita infernali mancipauit carceri, vt cum inde se explicare nec velint nec possint, recte certissimas Orci victimas eos appellare possimus. Nec solum ad terrendos vos haec à me dicta existimatote, verissima ea esse facile exemplis conuincere possum, non remotis tantum sed recentioribus etiam. Vdo ille Archiepiscopus Magdeburgensis quem ferunt Sanctissimae Virginis beneficio, & ingenij, quo antea carebat, excellentis acumen

Act. 8. 11. 16.
& 20.

Eorum vita indignas mors infelix.

Num. 6.

Quod ostenditur exemplis. Ac primò Vdonis Archiep. Magdeburgensis.

69

Specul. Exempl. dist. 9. Excm. 173.

F

& di-

MONITA DE RECTE

& dignitatem Episcopalem consecutum, cum deinde
 ceptis libidinose viueret, ac tertio diuinitus monitus
 non resipisceret ab impuro Monachæ complexu
 tractum, ad iudicium Diuinum accusatum, sceleris-
 que conuictum, & dignitate Episcopali, exutum,
 æternis addictum fuisse inferni supplicijs, remque
 hanc ad eò manifestè actam, vt eam Deus à pio Sa-
 cerdote, nocturnis precibus in Ecclesia vacante, spe-
 ctari oculis, ac denique signa fusi ex cruore occisi ca-
 daueris in marmoreo templi pavimento perpetua
 extare voluerit. An non similis exitus Zauiffæ Cu-
 rosuanscij Episcopi Cracouiensis? Illustri quoque
 is in hoc Regno loco natus, sed iuuenis, & vt reor, il-
 licito ambitu fratre Castellano Cracouiensi alijsque
 cognatis, quorum tunc erant præcipuæ in Repub.
 partes adnitentibus, Episcopatum adeptus, illicitis in-
 dulgens voluptatibus, in Dobrouodensi prædio for-
 tè rusticanam puellam altius à terra eleuatam, acer-
 uum fæni componentem conspicatus, dum per sca-
 las conscendit, & iam in cupitos ruit amplexus, in
 ipsa obscæni actus lucta lapsus ab alto, fracta cerui-
 ce exspirauit. Curatum eius funus in Ecclesia Cathed-
 rali Cracouiensi celebri pompa ab amicis ferunt:
 sed nec tetros abfuisse Cacodæmones, eique qui vi-
 uis secretis libidinibus satiari non potuit, sed palam
 cunctis inspectantibus, non vt homo, quem rationalis
 pudor abstrahit à flagitio perpetrando, sed vt bel-
 lua quædam scelus impurum exequi voluit, cum
 infelicibus tripudijs parentasse: auditosque fuisse
 palam concinentes impuram (quam fortasse Episco-
 pus viuis occinere solebat) ad meretricandum inui-
 tatio-

76
 Zauiffæ
 Curosuans-
 cij Episco-
 pi Craco-
 uienfis

GERENDO EPISCOPATV.

tationem. Tales sunt eorum exitus, qui vt sacra eloquia testantur in bonis ducunt dies suos, & in momento labuntur ad tartara. Dicam vobis quod narante Carnouio didici: Petrus Gamratus Archiepiscopus Gnesnensis, idemque Episcopus Cracouiensis, illicita ambitione geminas opulentas dignitates consecutus, vt prodigus & libidinosus palam audiebat: aderat comitatus qui Episcopum minimè deceret, mensam, vt cum Plauto loquar, strues patinaria ornabat vel onerabat potius, aderant symphonistæ, parasiti, sycophantæ, mimi, ludiones, merito ab Italis bufones appellati, strepebat Aula illicitis clamoribus, Baccho & Veneri indulgebatur. Denique in ea erat apud omnes opinione, vt nemo de Gamrato benè existimaret, cuncti vt perditè flagitiosum execrarentur, cuius cognomen etiam nunc turpibus & obscænis facinoribus vocandis vsurpatur: vnum erat in quo non Gamratum, non lurconem, non ganeonem, sed Episcopum agnoscere posses. Pauperum & egentiorum singularem gerebat curam, singulis diebus ex eo numero centum erant, qui Episcopali mensa & ferculis reficiebantur: dum iter faceret, duo currus onusti lineis indusis, & lanceis tunicis, vel si hyems esset, ex pelle ouina consutis vestibus sequebantur, nudus vel malè vestitus, si quis opem implorans obuius erat vestiebatur, viatico etiam donabatur: hic mos, ea cõsuetudo familiaris Gamrato erat, cum alioquin ipse in tantis opibus, vt prodigi solent, egeret, ac semper ferè in dies viuens alieno ære grauatvs vsuras dependeret. Iam senior, iã morti proximus nihil ex illicita

71
Petri Gamrati ob solennes & largas elemosinas felicias post vitam licentiosam exitus.

Pl. 40.

victus & prodigalitatē ratione remittebat, & vt opinari licet præteritorum facinorum recordatio præcipitem eum non ad spem misericordiæ, sed ad salutis desperationem agebat. Sed verissimum esse quod Spiritus Sanctus per os David Regis locutus est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus, Gamratus quoque expertus est. Nam cum annis fessus, & vt dixi morti esset proximus, neque tamen de supremo vitæ exitu admodum esset sollicitus, accidit vt in peruigilio festi cuiusdam diei ad vespertinas preces audiendas ad Ecclesiam iturus accingeretur, paratusque in cubiculo aliquantisper solus subsisteret, ecce nota illi viri cuiusdam nobilis Strembosij iam diu fati functi persona apparet: familiariter secum mutuorum conscij facinorum diu vixerant, exhorruit tamen ad visam rediuiui hominis speciem Episcopus, cumque ille vt metu posito secum ageret hortaretur, paululum resumpto spiritu Gamratus, Etiamne tu viuis? & in quo tandem loco es? Mortali perfunctus vita, respondet ille, viuo, longèque feliciore quam vos fruor aura. Tum Gamratus: Tunc quem flagitijs grauatum, & turpibus libidibus me, prò dolor, conscio fætentem è vita excessisse constat, inter eos sis qui felices sunt? vix credo. Cre-des, inquit ille, mox, paulisper modo sustine. Iuuenis admodum cum in Germania essem, incidi in quendam qui sacrilego ore Sanctissimam DEi Matrem Virginem incestabat: ego flagitij impatiens colaphum homini impingo, nec mora ille vt erat armatus manu ad capulum admota duellum mihi denuntiat, ego non segnius stringo ensē, congregimur, nec diuturnum fuit

fuit certamen, nullo accepto vulnere sacrilegum conficio. Et tunc quidem ne homicidij & duelli crimine succumberem, fuga mihi consului. Deinceps vix aliquando ea res mihi in mentem venit, sed cum suprema adesset hora animaque è corpore exitura insultantibus infernalibus hostibus conflictaretur, & ego exitij certus nullam reliquam spem haberem, ecce mox noua affulsit lux: Regina cæli Angelicis choris stipata præstò aderat, diffugiunt infernales belluæ, nescio quid horrendum frementes frendentesque: at illa vultu benigno flexit in me misericordiæ oculos: Milesne inquit meus, defensor honoris mei peribit? Absit. Tum versa ad Filium, En vterus in quo conceptus es, en vbera quæ suxisti, hunc ego militem quibus olim te stringebam brachijs complexum tantisper tenebo, tu sanguinem, quem ex meis traxisti visceribus stilla: ego efficiam vt ex eius oculis vberes fluant lachrymæ ablucendis sceleribus sufficientes. Dixerat & ego ex detestatione antea vitæ intimo concepto dolore singultibus concutior, lachrymas fundo, Patrem optimum me offendisse agnosco, & annuente sanctissima Patrona mea ingenti illius amore exardesco, affectu nō voce, nam morbi vis vsum linguæ interceperat, atque ita supremis meis castissima virgine assistente exspiro. Anima è corpore egressa Angelorum ministerio fertur in cælum, illic non meritis meis, nam ea vel nulla vel satis exigua erant, sed Diuina misericordia mihi per Patronam meam conciliata æternam adeptus felicitatem verè viuo. Inde ad te nunc missus sum, vt te supremorum tuorum admonerem. Dudum iam merueras, vt tot bene-

MONITA DE RECTE

ficioꝝ acceptoꝝ ingratuꝝ, morte ferali, ad exemplum Voluptuarij Vdonis mulctareriꝝ, tuꝝ largitioneꝝ in egenoꝝ factꝝ, illꝝ epulꝝ quotidianaꝝ mendicis exhibitꝝ, illꝝ vesteꝝ, quibuꝝ nuda Christi membra texiſti, ne ex meritiꝝ tuiꝝ in te Diuina ſæuieret iuſtitia prohibuerunt. Scito autem, te ab hinc ſexto Menſe (tantum tibi indulget clemens Pater) morituruꝝ, expende & diſpice, quid te interim agere oporteat, nam veniꝝ adhuc ſupereſſe locum, vel meo doctuꝝ exemplo ne diſſidas. Hiꝝ dictiꝝ Helequidem diſparuit, Epiſcopuꝝ in lachrymaꝝ reſolutuꝝ, neque eo die in publicuꝝ progreſſuꝝ, diutiuꝝ ſolito ſoluꝝ manſit, & niſi ſerò, quid ſibi accidiſſet, iꝝ quibuꝝ maximè fidebat patefecit. Nouerat Carnouiuꝝ pleroſque qui cum Gamrato familiariter vixerant, qui que ſupremiꝝ eiꝝ adfuerant, confirmabant illi ita vltimoꝝ ſex illoꝝ meſeꝝ ab eo exactoꝝ fuiſſe, vt verè & ex animo peccata deteſtantiꝝ hominiꝝ omneꝝ numeroꝝ implet: denique ſanctiſſimiꝝ Sacramentiꝝ ritè expiatuꝝ, cū optima æternæ ſalutiꝝ ſpecuꝝ ceſſiſſe è vita teſtabantur. Tum ego interpellâꝝ Pſtroconiũ. Quid ſibi illi volunt verſuꝝ, quos Cracouiæ eiꝝ tumulo inſculptoꝝ legimus.

*Gamratuꝝ Reginaꝝ potens Bona Sfortia Petruꝝ
Cracouie & Geſne Pontificem ſtatuit,*

Ceſſa, inquit Pſtroconiꝝ, ceſſa ſcio cætera, quæ ſequuntur. Itane curioſuꝝ eꝝ? alia potiuꝝ legiſſeꝝ & didiciſſeꝝ non hæc, quæ argutuꝝ Poeta, vt in ambiguum trahi poſſent intellectuꝝ finxit: ego ſi reꝝ mei eſſet arbitriꝝ, iſtoꝝ verſiculoꝝ abolerem, qui Gamratuꝝ vereor nè magiꝝ infament quàm laudent. Fabu-
las

las videor vobis narrare, quæ tamen luculentis testimonijs probari possunt, sed cernitis diuersos hominum exitus & Dei miserentis inperferuzabilia iudicia. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis, nec minus timendum ne facile veniam desperemus. Ex occasione Carofuancij venit mihi in mentem, vt expendam, plusne vtilitatis an incommodi Ecclesiæ obnatiat, ex promotione eorum, qui maiorum illustria nomina præferunt, & numerant pro dote triumphos. possem multa adferre exempla, maioribus ferè semper dispendijs & iniurijs res obnoxias Ecclesiæ fuisse, cum tales illis præessent: qui sola generis & stemmatum commendatione, Episcopalem dignitatem adipiscerentur: ferè enim euenire solet, vt immaturâ ætate pænè adhuc pueri, & quantum onus humeris suscipiant, ignari, obrudantur Ecclesiæ, vel amicorum, vel Principum potestate, & molliusculè educati, deinceps posteaquam adoleuerint, & statum Ecclesiasticum fastidiunt, & ad militiam obeundam parum apti sunt. In Germania conuulso religionis statu Principes Hæretici iura Ecclesiarum inuaserunt, se tamen dici Episcopos volunt. Non dissimiles ijs nonnulli Catholici, qui pari ausu concedentibus Romanis Pontificibus (quid enim illis negarent!) liberos fratresque suos veste talari indutos, nec quidquam aliud Ecclesiasticum præferentes, Episcopos renuntiant, qui deinceps adulti, & pæne sacerdotali pastum demum deliberant, quid facto opus sit: et si alia occasio status sui tuendi nõ suppetit, serò demum ad rem Ecclesiasticam animum applicat.

Heb. 10. 10

31.

72.

73

Parentum
non suã
voluntate
facti Eccle-
siastici, pa-
rum felici-
tate ce-
dunt

E no

E nostrorum Regum filijs, vnum scio Fridericum, Casimiri tertij filium sacris initiatum. Hunc cum cæteri fratres militariter educarētur, mater Elizabetha Regina Poloniae indulgentius habuerat, & multis annis apud se tenuerat, & ille assuetus muliebri consortio, difficulter postea meliora suadentibus obsequi voluit. Anno quidem ætatis suæ decimonono Episcopus Cracouiensis, potissimum matre adnitente, renunciatus fuit. Huic Petrum Tomicium virum doctum & piū, nuper è Bononiensi studio summam laudis & eruditionis opinione reuersum, Casimirus Rex adiunxerat, vt esset actionum studiorumque illius inspector & moderator: sed quamuis ille, seuera quadam Tomicij grauitate permoueretur, eoque veniente pocula quibus cum sodalibus euacuandis meliores horas impendere consueuerat, citò auferri iuberet; nihilò tamen melior factus in omnem, mox erupit licentiam: mors denique eius infamis fuit, quasi ex turpi infectæ luc venerea mulieris consuetudine contracto morbo accelerata esset. Cromerus noster hoc elogio eum profecutus est. Fridericus procera statura, aspectu decoro, ac dignitatis pleno, cæterum ingenio nullo, iners, ignauo otio, crapulae & assiduis comotationibus in fumo & sordibus cum gregalibus suis quibusdam marcescens, & ad extremum morbo Gallico confectus teste Mathia Miechouiensi medico. Hactenus ille. Et mirum est reliquos eius fratres omnes Regijs virtutibus excelluisse, vnum ex illis vitæ sanctitate, vt statim à morte inter Diuos referretur meruisse, hunc è contra sacris addictum paterno maternoque voto dicatum in meliorem

liorem frugem euadere non potuisse; sic vsu venit ijs qui non sua sed Parentum voluntate sacris functionibus admouentur, vt quasi auro Tholosano afflati parum felices habeant successus. Quis nuper non indoluit funesto Andreæ Cardinalis Bathorei Episcopi Varmiensis exitu? is quoque voluntate Patru Regis Stephani sumptâ togâ Sacerdotali primo Canonico rum Regularium Sepulchri Domini Custodum Michouien Præpositus renunciatus, & ad Cardinalitiam dignitatem adiuncto Episcopatu Varmien promotus, Rege Stephano mortuo semper aliam vitæ suscipiendæ rationem spectare videbatur, cumque iussu Clementis VIII Pontificis Maximi Germanicus Malaspina Episcopus sancti Seueri eum sacro Diaconatus ordine & voto non amplius nubendi obstrinxisset, tum quoque testatus est, se pænè inuitum eò adigi, & mox leuitate patruelis sui Sigismundi Transyluanie Principis à fœdere, quod cum Rudolpho Cæsare icerat, temerè recedentis excitus, positâ Cardinalitiâ Regalem purpuram induit, sed Transyluaniam iussu Cæsaris Michaelè Valacho cum exercitu ingresso, fraude suorum proditus & occisus, documentum grande post se reliquit, seriò rem Diuinam esse tractandam, nec ad leuis auræ opem statum Ecclesiasticum deserendum. Verissimè enim Seruator noster, Nemo, inquit, manum mittens ad aratrum & respiciens retrò aptus est ad regnum cælorum. Ad extremum, vt hanc vocationis Diuinæ necessariam considerationem finiamus, certissimo statuendum est, eos qui statum Episcopalem affectant, vt dignitatibus, honoribus, & opibus augeantur, à Deo non

74

Luc. 9 v. 26.

75

Quid inter vocatos à Deo & non vocatos ad Episcopatū, differat.

G

voca-

Luc. 9.

76
Pstrokonij
optima vi-
tae confuc-
tudo.

vocari: eos autem qui vniuersalis Ecclesiae vtilita-
tem proximorumq; commodum, praecipuum susci-
piendae tam sublimis functionis scopum sibi propo-
nunt, certos esse debere, se motu caelitus immisso agi,
& vrgeri. Diligenter tamen & his expendendae &
supputandae sunt (idque iuxta Domini consilium) sedendo rationes, an sumptus ad turrim altissimae
perfectionis extruendam illis suffecturi sint. Sed iam
transitum ad ipsa functionis Episcopalis munia fa-
ciamus, dabitur autem veniam si longiori fessi sermo-
ne, reliquum hodiernae diei tempus relaxationi animi
& virium concesserimus, cras si liberum nobis erit ca-
tera exequemur. Moris erat Pstroconio parciore
sumpta caena & aliquo pio sermone, cum nulla rema-
gis quam verborum ne dicam obscenitate sed solu-
tioribus etiam iocis aures eius offenderentur, media
circiter hora impensa, mox peractis, quibus flexis in
terra genibus operam dabat, precibus, & ad trutinam
totius diei gestis stricto & accurato examine reuoca-
tis, veniaque a Domino petita, maturius cubitum se-
conferre; lectus non molli pluma stratus, sed culcitra
asperiori supposita, dormiturum excipiebat, ita & se-
miiciuno & durioribus stratis incubanti, parciore
quoque qui modo naturae sufficeret somnus erat, &
si priori peracto somno expergisceretur toto corpore
in terram proiecto aliquantulum sacris precibus va-
cabat, somno interim si necessitas postulabat nonni-
hil indulgens, sed ita, ne ultra septem horas in lecto
haereret. Tum quoque maturre somno expergefactus,
vt alias semper facere solebat, nos accersiri iubet, ad
dicendum secum sacri officij nocturnas horas, qui-
bus

GERENDO EPISCOPATU

būs dictis cum iustum temporis spatium ad sanctissimi sacrificij celebrationem solitæ & piæ præparationi impendisset, nos sonitu campani æris signo dato adfuimus. Ille sacris operatus ut semper alias, iterum ad preces versus, tacitâ mentis consideratione expendebat, accepti beneficij magnitudinem, suauitate odorifera vini illius optimi perfusus, quod cælestis spon- sus dignum indicat dilectis suis ad potandum, & den- tibus eorum ad ruminandum, atque in secretum cubi- culum mentis suæ ingressus, præsentî Domino sup- plex suas & Ecclesiæ suæ necessitates eidem offere- bat. Denique sepulchri Domini memor, quod cum repositum in eo esset corpus Domini munitum fuisse, signatis lapidibus, appositosque custodes refert Eu- angelista, ipse custodiam Angelicam cordi suo appo- ni precabatur. His peractis progressus in publicum, cum paululum expectâset, & interrogâset, an esset a- liquis qui negotium haberet, qui suam opem & ope- ram posceret; cum constitisset neminem ad præsens adesse, iterum ad cubiculi sui vicinum Musæolum se- retulit, cæterisque exclusis, & nobis manere & sedere, iussis, hesternâ die intermissum sermonem tali exe- quutus est oratione.

Confusus hesternò die rem actam esse à me, quam initio proposueram non diffiteor, nec enim so- lum ea dixi, quæ de hac materia dicenda erant, quam- uis multò plura & alio fortassis ordine dici poterant, verum etiam cum pleraque occurrerent ab instituto dicendi genere non abhorrentia, ea quoque præter- mittenda esse non putavi; neque enim præceptis so- lum imbuendi estis, sed tantò magis exemplis, quæ

77
Dicendorâ
in hac tra-
ctatione ca-
put alterâ,

Quid one-
ris ritè or-
dinato Epi-
scopo in-
cumbat.

Ioan. 21.

78

Quibus vir-
tutibus elat-
tere debe-
at.

Episcopus
perfectione
Professus.

plerumque & infixæ memoriæ hærent diutius, & ad omnes præclaras actiones summa cum laude suscipiendas expeditum monstrant iter. Nunc propositi mei memor, caput illud aggredior, in quo à nobis aggetur de functionibus Episcopalibus, quæ Episcopo, posteaquam cura animarum illi iam demandata est, possessionemque Episcopatus ritè adiit, incumbunt. In ea verò amplissima materia, non me penitus demittam cò, vt singula quæque perenseam, dictaque authoritate sacrorum Canonum confirmem; in ijs, quæ omnibus apparent versabitur oratio mea. Si forte hæc ipsa accuratius & subtilius pertractata scire volueritis, ad eos vobis remitto, qui ingentibus voluminibus, Præses Episcopales vulgò inscriptas, edidit, quidquid hac de re dici potuit complexi & executi sunt. Ego verò illud vnum Seruatoris dictum, ante oculos habens, quod posteaquam renuntiatus sum Episcopus semper videtur insonare auribus meis, Pasce oves meas, in tam paucorum verborum consideratione subsistam, & rudiori stylo Episcopum, qui idem sit Senator, vobis depingere adnitar. Primò tamen recensendæ mihi sunt virtutes, quibus Pastorem animarum exornatum esse oporteat: cum enim is ardui muneris functionem subiturus sit, & gregem Dominicum per viam mandatorum Domini deducturus, errabit procul dubio & alios errare faciet, nisi iter tam anceps & difficile, illi antea optimè notum, & sæpè tritum fuerit. Perfectionis statum proficetur Episcopus, ad eum autem communi Theologorum sententia tribus ascenditur gradibus, per vias quas purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam vocant, dispo-

dispositis. Hanc Apostolus insinuare videtur illis
 verbis, Finis præcepti est charitas, de corde puro, &
 de conscientia bona, & fide non ficta. Amatur puri-
 tas animæ, & splendor bonorum operum, & fides ac
 fidelitas in coniungendo se Deo, & hinc profectam
 fuisse trinam illam Domini interrogationem amoris,
 vt Petrus cæterique futuri animarum piscatores in-
 telligerent, se debere esse eminentes in cordis parita-
 te, ab omni culpa & imperfectione liberos, quantum
 fragiles humanæ vires sinunt. Eosdem non eis tan-
 tum virtutibus quæ præceptis Diuinis comprehen-
 sæ sunt, nam sine his puritas animæ haberi non po-
 test, sed longè excellentioribus & heroicis operibus
 præditos esse oportet, quibus excultri & ornati perpe-
 tuam habeant cum cælesti sponso vnionem, qui pol-
 licetur se dilectos suos sibi sponsaturum in fide, in iu-
 stitia, in misericordia. Excellere autem dico Episco-
 pum debere, ac subditis suis perfectiorem esse, ea per-
 fectione, qua Magister discipulos, qua Pastor oves
 superat: quod sanctus Gregorius bonorum Pastorum
 idea verissima pulchrè his explicat verbis. Tantum
 debet actionem populi actio transcendere Præsulis,
 quantum distare solet à grege vita Pastoris: oportet
 namque vt metiri se sollicitè studeat, quanta tenendæ
 rectitudinis necessitate constringitur, sub cuius æsti-
 matione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est co-
 gitatione mundus, actione præcipuus, discretus in si-
 lentio, utilis in verbo, singulis compassione proxi-
 mus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene a-
 gentibus per humilitatem socius, contra delinquen-
 tium vitia per zelum iustitiæ erectus, internorum

79
 Quam sub-
 limem.

Osc. a. v. 20.

a. Pastos.
 cap. 10.

MONITA DE RECTE

Penē An:
gelicam.
Apoc. 2.

80

Ad eā quo-
modo ob-
ligati Epi-
scopi.

Matt. 5. 7. 3.

Matt. 5.
v. 19.

81

Eiusdē per-
fectionis ty-
pus in legis
antiquæ
Pontificis
vestitu ad-
umbratus.

euram, in occupatione externorum non minuens, ex-
ternorum providentiam in internorum sollicitudine
non relinquens. Hæc est illa Angelica (Angelos e-
nim Dominus Episcopos in Apocalypsi appellat.)
perfectio, quam tantus vir Spiritus Sancti instinctu
descriptam nobis reliquit. Ac vt magis appareat Epi-
scopos ad hanc esse obstrictos perfectionem, ex ipfi-
usmet Servatoris verbis eam colligamus, quibus sub-
limia illa beatitudinis consequendæ monita in per-
sonis eorum, quos in montem excelsum seductos in-
formabat, futuris quoque præscripsit Pastoribus;
voluit enim eos esse pauperes Spiritu, mites, esurien-
tes & sitientes iustitiam, lugentes eius defectum,
misericordes, mundos corde, pacificos, & patientes
persecutionem propter iustitiam. Eandem Pastorum
perfectionem ad tres gradus superius notatos redu-
ctam ijs expressit similitudinibus. Vos, inquit, estis
sal terræ. Ad quid? nisi vt corrupta putredine &
tabo diffuentia vulnera admoto hoc salutari con-
dimento siccant, purgant & sanent: Vos estis lux mun-
di, vt & ipsi luceant, & alios splendere faciant: vos
estis Ciuitas supra montem posita, in qua tota perfe-
ctio & illa cum Deo vnio comprehenditur, quam
olim in veste poderis totius orbis imagine sculpta
referebat summus Israelitici populi Sacerdos. Et
quoniam vestimentorum Sacerdotallum, quibus vt
antea ex Diuo Chrysofomo annotauimus, sanctitas
Sacerdotij nouæ legis designabatur facta est mentio,
inspiciamus tam pretiosi ornamenti Diuinum opus,
in quo duo consideranda veniunt, alterum est pre-
tiosissimum & electissimum stamen, byssus retorta,
hya

Hyacinthus, purpura, coccus bis tinctus, fila aurea, alterum pretiosi lapides in varios distincti ordines, nam in ipso pectoris cooperimento erant duodecim lapides in quatuor ordines distributi, tres in singulis inclusi auro, & in eis sculpta erant nomina filiorum Israel, in singulis lapidibus nomina singulorum per duodecim tribus. Erant & alij duo lapides magni pretij auro inclusi, quorum alter dextro, alter sinistro humero ita erat affixus, vt in illo quidem sex natu maiorum filiorum Israel nomina, in isto totidem iuniorum essent expressa. Huius tam pretiosi ornatus cum consecramur peculiari precatione fit mentio his verbis, Vt quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate signabant, hoc in eius (videlicet qui consecratur) moribus actibusque clarescat. Splendere in Episcopis debet ex intellectu & sententia sancti Gregorij byssus retorta, puritas scilicet conscientiae, adhibita mortificatione earum rerum quae possent eam aliqua culpae macula inficere: Hyacinthus intentio caelestia spectans, terrena contemnens: Purpura Regium indumentum asperius quidem vt patientiam designet, dominium tamen ac robur ad molestias magno animo ferendas praebet: Coccus bis tinctus charitatis Dei proximique amore eiusdem penè coloris notatus: Aurea fila ad contemplationem sapientiae caelestis referuntur. Iam in lapidibus singulis singulas vt percenseamus notatas virtutes, longioris sermonis tela esset texenda. Sed ipsum exemplar perfectionis Iesum Pontificem

in Ara

82

83

In Pontifice Iesu
Christo erant
cifixio magis expressus.

MONITA DE RECTE

1. Cor. 1.
P. 26.

in Ara crucis sacris operantem aspicerit: ornatus eius nuditas & paupertas: si carnis oculis credere & decipi velimus, Iudæis scandalum, gentibus stultitia; sed credentibus in pectus ornatum rationali, ornamento lapidibusque pretiosis distincto. Sardius imprimis splendet, qui coloris est ignei terretque ferus, est feruens zelus, qui instar ignis contendit omnia vitia ad eum strenue comburere, ut terreat peccatores & ipsos peccatorum auctores Dæmones: Topazius à Plinio omnium lapidum preciosissimus existimatus, incensus Dei & proximi amor & ipsemet charitatis actus, ex quo oritur zelus omnium virtutum præstantissimus: Smaragdus viridi eoque excellenti colore spem designans futurorum bonorum: Carbunculus noctis discutens tenebras & circumstantes illuminans: Saphyrus cælesti splendidus colore, quo tamen nouæ legis Nazaræi pulchriores esse debent: Iaspis solidus & fortis ad columnas muri cælestis extruendas idoneus, qui que phantasmata depellendi, id est, falsas de fide opiniones euellendi, habet vim. In tertio ordine Lygurius siue Lynacrius, huic cum Lynceis vrinâ congelata sit origo, humilitatem significet, conuenit: hæc enim licet pretiosa sit, oritur tamen ex consideratione propriæ vilitatis, quæ vix nisi Lynceis oculis qui non falluntur, nec falsa tumoris imagine seducuntur, videri & agnosci potest; non libenter enim audimus, Puluis es & in puluerem reuerteris. Achates sua nigredine pænitentiam designans, aliquibus tamen qui ei insunt circulis albis candorem indulgentiæ præsert. Chrysolitus velut aurum perlucidum similis coloris marino, paupertas spiri-

Gen. 1. 7. 19.

Spiritus & contemptus rerum omnium, cum generosa quadam animi magnitudine; talis erat Angelus quem Daniel vidit, cuius corpus erat quasi Chrysolitus, Onychinus cuius color & figura vngni adfinis est, nisi quod eximio candore niteat, quo castitas rectè designatur. Berillus colorem habens inflammatum adinstar aquæ, in qua sol suos reflectit radios, virtutis temperantiæ & abstinentiæ symbolum. Hæc sunt intimi Pontificis nostri pectoris ornamenta: en exemplar monstratum in monte Caluariæ, ad illud se conforment omnes Episcopi, & insuper utrique humero, Dei proximi que charitatis geminas imponant gemmas margariti inæstimabilis. Paucis hæc ego vobis ex Ethymologicis Isidori libris; si tamen maturius & exactius ea expendere volueritis, vberiores inde thesauros vobis haurire licebit. Sed fortassis licebit nobis non solum splendorem vestitus Pontificalis tot collucentibus lapidibus illustrati, sed onus etiam eorundem lapidum considerare, qui tanto pondere gestantem premunt, ut quamuis Gygas sit, gemere eum oporteat. Magnæ & Gygantæ magnitudinis fuit mulier illa, quæ Lunam habebat sub pedibus suis, & sole erat amicta, atque ipso capite, stellas contingebat, nihilominus gemebat & clamabat parturiens, & cruciabatur ut pareret: Nempe quia Draco nefarius hianti ore partum eius deuoraturus in conspectu erat. Gygas erat sanctus Paulus, qui tamen iterum Galatas parturiens, se doloribus partus cruciari testatur. Ille denique Gygas qui exaltavit ad currendam viam, cuius à summo cælo egressus, qui perditam primo, mox repertam ouem hu-

Dan. 10.
v. 6.

84
Muneris Episcopalis
splendidū
onus amplius ex-
penditur,

Apoc. 6. 12.

Gal. 4. v. 14.
Psal. 18. v. 6.

Luc. 15. v. 6
& 9.

H

meris

35
 Quam gra-
 ue sit & pe-
 riculosum,
 etiam exē-
 plis illud
 fugientium
 common-
 stratur.

Num. c. 7.

In Reg.
 Mon. cap.
 15. Tom. 4^o

meris referens tanti oneris pondere, & in horto sanguineum sudat sudorem, & crucis grauatus magnitudine succumbit in via, licet aliàs cæli terræque Principatum suis sustineat humeris. Summa dignitas est pretiosis auro insertis fulgere lapidibus, quales sunt animæ Christi sanguine redemptæ, sed si thesaurum istum vasis fictilibus inclusum expenderis rem magni periculi esse cognosces & Aetnâ grauius hoc onus esse fateberis. Audiamus Moysen virum mitem, virum populum illum amantem, virum Diuini honoris zelo ardentem: hic tamen tantus Gygas, vt sub pondere, quod ex cura salutis animarum illi incumbere gemit, & penè sui oblitus vociferatur, Cur, inquit, affixisti seruum tuum & cur imposuisti pondus vniuersi populi super me? nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram pro qua iurasti Patribus eorum. Non possum sustinere omnem hunc populum quia grauis est mihi, sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Sic ille, sic reliqui qui tanto pondere vel inuiti humeros supponebant, vel quantum poterant in abditas etiam se condendo speluncas, onus Angelicis etiam humeris formidabile fugiebant: vt ille de quo scribitur, cum electione legitima Episcopatus illi delatus esset, illeque periculum expensens Abbatem virum sanctum & Prophetiæ spiritu præditum, acceptandusne esset Episcopatus consulisset, iussus ab Abbate altum quoddam tectum, quadratum tamen & planum nec vllis septum repagulis

pagulis conscendere, & in eo posito corpore volutari, cumque id faceret, & margini proximus cessaret. perge, inquit Abbas, semel & iterum voluere, non audeo amplius, respondit ille, nam proximus præcipitio sum. Deductum inde mox cum in humili & patienti loco idem facere iussisset, illeque citra periculum longius se volutasset; Vade, inquit, Abbas & in acceptando Episcopatu vtriusque loci discrimen ante oculos habeas: ita ille repudiato Episcopatu deinceps vita functus apparuisse dicitur, & narrasse se se, si Episcopus factus fuisset periturum fuisse. Neque ad terrendos vos hæc dico, sed vt ad moncam cautè nimium & cum timore ac tremore ad hoc onus acceptandum vnumquemque accedere debere. Sed iam acceptato onere Pastoralis, quid potissimum hoc onere contineatur videamus. Et imprimis potestas & iurisdictio amplissima: Sunt enim Episcopi in cætu Presbyterorum, vt Principes, decernuntque, & leges ferunt suo arbitratu, maximè in Concilijs generalibus, vt ex illo Calcedonensis Concilij edicto probatur, Foras superflui, Concilium Episcoporum est: & Concilij Basilien. decreta, idcirco vim suam non tenuerunt, quòd in eo admitterentur simplices Presbyteri ad decidendas fidei causas, & plures essent Episcopis. De Abbatibus secus fortassis existimandum est, nam in Concilio Tridentino cum ei præsedisse C C L V Patres dicantur, nequaquam is numerus conficeretur, nisi & Abbates & Ordinum & religiosorum præfides computarentur. Sed hæc de alijs sit iudicium. Habet præterea Episcopus thronum vel solium in Ecclesia altius eleuatum,

H 2

supre.

86

Episcoporum
potestas &
prærogatiua.

87

supremæ dignitatis signum, olim ante Cardinales Presbyteros & Diaconos locum in Concilijs generalibus habebant. Habet item Episcopus potestatem ordinis & iurisdictionis. Ordinis ad conficiendum Chrisma, & alia Sacra olea, ad conferendos omnes sacros Ecclesiasticos ordines, ad Ecclesias, altaria, virgines consecrandas, polluta cæmeteria & templa reconcilianda, Sacramentum Confirmationis conferendum, ad actuale Clericorum depositionem, & his similia. Neque enim omnia explicare nostri est instituti, vti nec iurisdictionis terminos oratione nostra exequi necesse est, multis enim & pænè infinitis numeris ea constat: neq; enim Ecclesiasticæ solùm causæ Episcopi iudicio subijciuntur, sed quidquid ad rationem curandæ salutis pertinet, etiam si extra territorium fori Ecclesiastici esse videatur, huc reuocandum est. ita sacræ, ita profanæ leges voluerunt, hoc pij & optimi Principes sanxerunt. Reuoluite non amplissimos Imperialium modò legum Codices, sed statuta nostra, piâque maiorum nostrorum sanctiones, reperietis, quantum Principes, quantum maiores nostri permiserint Episcopis, quibus olim spiritualem gladium stringentibus, cæteræ omnes iurisdictiones parebant, ac iussa exquebantur. Hoc primùm seculo ac pænè nostra memoria impietas extorsit hunc mucronem salutis è nostris manibus. Videlicet pessimè habebat Diabolum esse in hoc Regno, qui summa cum potestate, & ex nobili, vt Iurisconsultorum verbo vtar, officio, Hæreses, blasphemias, adulteria, veneficia, incantationes, incæstus, periuria, & id genus infernalìa monstra, quæ nunc impunè perpetrantur,

88
Impietas
seu tempo-
rum iniqui-
tas plurimū
de libera-
gendi po-
testate Epi-
scopis de-
rogauit.

eur, punirent. Libertas à plerisque prætenditur, cui scilicet graue erat potestati sacræ submittere caput, cum Principes Christiani optimi quique ea corripere & puniri ab Episcopis voluerint, soli ij, quibus pietas non erat cordi, iussa & monita eorum respuerint. Nec ad externa vos vocabo, domesticis contenti erimus. Boleslaus, cui res præclare gestæ Audacis nomen pepererunt, à sancto Stanislao Episcopo Cracouienfi monitus, vt eius dicta spreuerit, vt ira exarserit, vt sanctum Pontificem parricidiali cæde & morte sustulerit, notum est orbi vniuerso. At Vladislauus Jagello Neophytus licet, cum Gnesnæ ob ignoratas ab eo facultates adscriptitiorum Ecclesiæ, Nicolaus Strosberg Archiepiscopi in spiritualibus Vicarius, sacris Ciuitati, in qua Rex morabatur, interdixisset, non modò æquo animo id tulit, verùm, etiam res interceptas restituit. Acres item illæ Zbignei Cardinalis expostulationes in senatu factæ, & si non nihil molestæ eidem Regi fuerunt, tantum tamen abfuit, vt eas vlcisceretur, vt etiam moriens, & munere quod carissimum habebat, Zbigneum cohonestaret, & obiurgatorē suorum criminum, eundem liberis suis supremæ vountatis suæ declaratione, tutorem constituerit. Sic fecerunt reliqui omnes, vt Theodosius reprehensus ab Ambrosio, & ab ingressu Ecclesiæ ob cædem Thessalonicæ factam prohibitus, non erubuerit posterni coram Episcopo, supplex veniam & pænam ad expiandum delictum, vt sibi imponeretur, petere. Noster quoque Casimirus iij huius nostri Regis Sigismundi proauus, post illam ad Choyniciam infelicem pugnam cum passim carperetur,

H 3

qua:

89

Eximia Episcoporum
Libertas in
castigandis
principum
delictis.
Grata Vladislauo
Jagelloni.

Theodosio
Imp.

90

Casimiro
III Regi
Poloniæ,

MONITA DE RECTE

quasi ob eius minus æquum Imperium pauperumquæ
 exactiõibus militaribus oppressiõem ea clades ac-
 cepta esset, idque Deus cuidam Sandivogio Theo-
 dogo Canonico Gnesnensi viro pio & religioso ma-
 nifestasset, iussissetque vt Regem adiret, ille cælesti-
 bus parens monitis, impetrauit à Rege vt exclusis
 arbitris cum eo agere posset. Ibi iusso Rege vt sur-
 geret, & stans mandata Dei audiret, magna Dei be-
 neficia & ipsius ingratiudinem peccataque expo-
 brauit, & ni mutaret mentem grauiora comminatus
 est; æquo animo ferente Rege acerbiorẽ admo-
 nitionem melioraq; de se pollicente. Et quoniam no-
 strorum Regum facta est mentio. Carncouius quoq;
 cum adhuc esset Episcopus Vladislauiensis, cumque
 spargeretur Sigismundum Augustum Regem in pro-
 ximis quæ tum futura erant Comitijs, nescio quid in
 fauorem hereticorum decreturum, & suam quoque
 sententiam de religione explicaturum, exarsit zelo
 tuendæ religionis Catholicæ. Regemque acrioribus
 literis & hoc nomine, ac item quod eius libidines
 magno subditis essent scandalo accusauit. Quid
 REX? sua manu Episcopo rescripsit, obiurgatio-
 nem Episcopalem sibi gratam esse, eamque perinde
 accipere ac si paterna voce moneretur, religionis ne-
 gotium se attingere nolle, præsentem vitæ suæ sta-
 tum sibi vel maximè displicere, & daturum operam
 vt iuuante Deo deinceps secundiori fama reliquum
 vitæ transigeret. Libenter & hoc exemplum supe-
 rioribus adieci, quod non modo ad Sigismundi Au-
 gusti Regis, sed ad Carncouij quoque mei laudem
 spectat. Vtilis semper erat & Regibus & Regni libertas
 Epi-

91
 Sigismun-
 do Augu-
 sto,

92

GERENDO EPISCOPATV.

61

Episcoporum, cum ij non ad adulationem composi-
to sermone, non vt principis animum irritarent, vel
odium illi conciliarent, sed vel priuatim semotis ar-
bitris agerent, vel publicè etiam ne quid cum detri-
mento Reipublicæ fieret obfisterent. Peruentior
hac inre & acrior fuit Ioannes Lubranski Episcopus
Pofnaniensis meus, vt fcitis, Proauunculus, nam
cum ordines Regni à Sigismundo Primo vehemen-
tius vrgerent, vt vefligal quod à mercibus quæ in
Regnum inducuntur & hinc educuntur Reipublicæ
condonaret, Rexque renitens & penè iratus capulo
ensis manu admota sibi id cripi non futurum osten-
differ; enim verò surgens è sella Senatoria Lubran-
fcius & fenestram, ex qua incircumieftam aream
prospectus patebat, effringere conatus, magna vo-
ce vim à Rege Senatui fieri inclamat, Rex mode-
ftior & intemperie Episcopi penè in rifum solutus,
fedete, inquit, Domine Epifcope, fit pax rebus, vis
procul aberit. Sed hunc vitæ suæ sanctitas & exi-
ftimatio qua æuum illud illustravit mugnum & po-
fteritati memorabilem fecerunt. Illud verò præcla-
rum & sacro ordine dignum Episcoporum Poloniae
factum. Cafimirus, cui cognomen Magni non tam
Regiæ virtutes, quam proceræ corporis ftatura pepe-
rerat, otiofis libidinib' magis quam bello aptus, turpi
transactione coactis Vladislauæ Comitij Anno
1343. totius Pomeraniæ possessione Cruciferis cefse-
rat, eque Sigillo Regni titulum quoq; eius Prouincię
eraserat, oblitus Patrem suum Vladislauum Loctri-
cum testamento cauiffe, filijq; & Procerū Regni fidē
iuramento obstrinxiffe, ne vnquam patrimonio suo
terra

Sigismun-
do Primo.

93
Factum ex
cellens Epi-
scoporu Po-
loniæ in
Senatu,

terra Pomeraniæ cederent, ablataſque & auulſas per fraudem à Cruciferis Regni Prouincias, armis vt vindicarent. Sed tum Vladislauix, & poſt Calixtæ, vbi diplomata conſecta ſunt, nemo Regi obſiſtere auſus, non Senatores, non Duces Maſouix, ſoli Epiſcopi dedecus tantum abominati, Regi nequidquam frementi obnuntiârunt: datoque publicè ſcripto & diſſenſu ſuo manifeſto, totum turpis tranſactionis negotium inſectum reddiderunt. Quæ res tum fortalliſſi parui momenti videbatur eſſe, ſed deinceps maioribus noſtris ad recuperandam eam Prouinciã armis & iure adſpirantibus, magno adiumento fuit ea Epiſcoporum renitentia & conſtat diſſenſus, ad oſtendendam & comprobendam cauſæ & iuris quo Reſpublica nitebatur, æquitatem. Extat nunc quoq; in Archiuũ Cracouienſis ſcrinio hæc ipſa cõteſtatio à ſolis tantũ ſubſcripta & ſignata Epiſcopis, nam cæteros Senatores metu Regiæ offenſæ ne hiſcere quidẽ auſos fuiſſe, credibile eſt. Et hæc quidme occasione per vim creptæ Eccleſiaſtica iuriſdictionis hîcã me dicta ſunt, quæ alio loco cõmodius dici poterant.

94

Diuino iure videtur teneri Epiſcopus ad Reſidentiã, vt patet ex multis S. Scripturæ locis. Prouerb. 6, 27.

Quæri quoque ſolet humanõne tantum an Diuino iure, Epiſcopus ſemper in Dioceſi ſua eſſe, & per ſe munus Paſtorale obire teneatur. & hanc poſtერიorem tutiorem, eſſe ſententiã communis Theologorum opinio meritò exiſtimat. Sic olim Deus in veteri Teſtamento Aarõni eiſque filiis præcepit, Excubate in cuſtodia Sanctuarij & in miniſterio, altaris, ne oriatur indignatio, ſuper filios Iſrael. Et alibi ſcriptum legimus, Agnoſce vultum peccoris tui, & greges tuos conſidera. Hinc illa Dei apud Eze.

Ezechielem cap 34. ex postulatio. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt, & non erat qui requireret. Illud verò ipsum terribile, quod Dominus per Zachariam minatur negligentibus Pastoribus, deferentibusque gregem suum. Sume tibi, inquit, vasa Pastoris stulti, quia ecce ego suscitabo Pastorem, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & carnes pinguium comedet. O Pastor & idolum, derelinquens gregem suum, gladius super brachium eius & super oculum dextrum eius. Quid enim aliud est Episcopus tiara & baculo ornatus, si non fungitur suo munere, nisi idolum quoddam, cui sine vlla causa, nisi quod extrinsecè niteat, honor exhibetur? Denique Pastoris nomine non dignatur eum Dominus, qui lupo viso fugit, tantò minus eum qui nullo metu nullaque de causa gregis sui custodiam deserit, nam & hic merus est, mercenarius, cum pastoris sit officium proprias oues vocare nomine suo, educere eas ad pascua, illisque ducatum præbere. Causam autem cur tam accurata diligentia opus sit explicat sanctus Paulus Actor. 20. Attendite, inquit, vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Grande Christi gregis pretium est sanguis ex eius fusus corpore, ex eo si quid Pastoris socordia perierit, merito Dominus ipsius quoque sanguinem in vltionem tanti detrimenti reposcet. Nec tamen ego adeo strictam rationem residentiae ab Episcopis nostris exegerim, vt si interdum Reipublicæ

Prover. 6.
27.

Zachar. 11.

Ioan. 10.
7. 12.

Actor. 20.

95
Episcopi
non residentes non o-

mnio da-
mnandi in
Polonia.

Residere
parum est
nisi munus
Episcopi v-
na exercea-
tur.

Cap. fia. de
rescript.
in 6.

96
Rationibus
ostenditur
Episcopos
ad Residen-
tiam te-
neti.

causa à Diocesi abfuerint, illos continuo damnandos censeam. Comitata Regni obeunda illis sunt, sãpẽ ad Aulam veniendum, interdum grauis aliqua legatio nomine Regis & Reipublicæ obeunda, sed hæc omnia cum Ecclesiæ ipsiusmet causa fiant, nec alio fine ab Episcopis suscipiantur: perinde est atque præfentes essent in suis Ecclesijs. Sed neque ij qui resident eo ipso existiment suo muneri à se satisfieri, Residentia enim vsus & exercitium ministerii in se comprehendit, nec enim ad nudum nomen demonstrandum Episcopi dicuntur, sed ad actiones illorum muneri incumbentes strenuo obeundas, vnde Seruator noster non dixit Petro sis Pontifex, sed pasce oues meas; & qui vocatur ad Episcopatum non ad Principatum vocatur, sed ad seruitutem totius Ecclesiæ, & propter officium datur beneficium. Ita quoque cap. Quia nonnulli. De Clerico non residente Alexander III. in Concilio Lateranensi decreuit. His tantum dandum esse beneficium qui resident in loco, & curam animarum per se ipsos exercere possint. Recteque concluditur ad residentiam duo copulatiue requiri alterum vt is qui beneficium habet in eo resideat, alterum vt Ecclesiæ in suo ordine inseruiat. Ad eiusmodi residentiam Episcopos obligari satis luculentis sacræ scripturæ testimonijs docuimus, id & ratio ipsa suadet. Est enim Episcopus sponsus Ecclesiæ, is autem diuina humanaque lege pactis matrimonialibus tenetur cohabitare coniugi suæ, vt eam totamque familiam suam gubernare possit, ne ex diurna absentia eueniat, vt illa fidem frangat, ad instar illius mulieris quam Salomon refert, iuuenem inesc-

cum

tum blandimentis meretriciis ad suos illexisse complexus, hoc adiecto suæ nequitiae prætextu. Non est
 vir in domo sua, abiit viâ longissimâ, sacculum pecu-
 niæ secum tulit, in die plenæ lunæ reuersurus est. Ita
 vicissim euenit, vt per absentiam Episcopi plura spi-
 ritualia admittantur adulteria, quæ præsentem Pasto-
 rem curari potuissent. Est item Episcopus Ecclesiæ na-
 uis gubernator, quæ cum semper procellosis iactetur
 fluctibus, ne puncto temporis à regimine illius abes-
 se licebit. Sic olim Noë arcam ingressus semper in ea
 mansit, & quamuis cessasse diluuium, aquas siccatas
 esse euentibus experimentis didicisset, non ante-
 gredi voluit, quam Dei voce vt egrederetur monitus
 esset. Est Episcopus Dux exercitus spiritualis semper
 in acie existens, hunc instruere, hunc ordinare debet,
 idem belli signum dare, primusque in acie stare & ho-
 stilem impetum sustinere tenetur. Alioquin vbi
 non est gubernator (ait Salomon) populus corruet.
 Horrendum est exemplum quod scriptura refert.
 Moyses à Deo euocatus vt legem acciperet, & per
 aliquot dies isthic moratus satis prouidisse videba-
 tur populo Dei ne per suam absentiam aliquid pate-
 retur, namque suas partes demandauerat duobus
 quibus maximè fidebat, & quorum exploratam ha-
 bebat industriam, Aaroni fratri suo, & Hur. Sed po-
 pulus pertæsus, ob diuturnam absentiam sui Ducis,
 noua consilia agitare cæpit. Petierunt, inquit, ab
 Aaron vt faceret ipsis Deos, qui eos præcederent. Re-
 sistere poterat sacrilegæ cupiditati, sed veritus ne vi-
 tæ subiret periculum, petiit ab eis in aures aureas,
 quas cum accepisset, fecit ex eis vitulum conflatilem,

Proverb. 6.
cap. 7.

Gen. 8. v. 16.

Proverb.
c. 14.

Exod. 32.

quem omnes adorauerunt. Tam breuis igitur tam iustitia absentia Pastoris, tanti lapsus occasionem gregi præbuit. Et quis est qui meliora sibi polliceatur, si Episcopatum deseruerit? Sed quia interdum abesse oportebit, illud saltem seruetur, vt nisi ex ijs causis quas Concilium Tridentinum expressit à Diocesi nostra abeamus. Abire autem licebit si Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, euidentis Ecclesiæ vel Republicæ vtilitas impulerit, idque, sciente & consentiente summo Pontifice, ea adhibita cautela, ne quid per absentiam Pastoris oues detrimenti accipiant, & si non meliores at saltem feliciores quam olim Moysis fuerunt, curæ Pastoralis Vicarij relinquuntur. Cæterum huius functionis que in præsentia Episcopi consistit munia potissimum, consistere videntur in sanctissimis sacrificijs quotidie offerendis, in prædicatione verbi Dei, ac in frequentia sacris Canonibus præscripta totius Diocesis visitatione. Omnis Pontifex, inquit Apostolus ad offerendum munera & hostias constituitur: Et alibi. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur; vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Missam igitur quia intimè Deo coniungimur, quotidiè Episcopus legitime non impeditus celebret, luminis illustrationem non sibi tantum deposcens, sed etiam pro grege sibi subiecto preces fundens pio gemitu, & religiosa supplicatione Deum exorans, vt ablatis peccatorum nubibus rorem suæ diuinæ gratiæ & misericordiæ in agrum Ecclesiæ suæ effundat. Et ob eam causam domi capellam magnificè extructam habeat, vbi quotidie missam vel celebret

97

Quibus ex
causis pos-
sint à sua
Ecclesia ab-
esse.
Sess. 6. de
Reform. c.
1 & sess. 23.
c. 1.

98

Residentis
Episcopi
quæ mu-
nia.

Heb. 2. v. 3.
Heb. 5. v. 1.

Sacris quo-
tidie ope-
rari vel in-
teresse.

bret vel andiat. Idem autem solennioribus diebus publice in Ecclesia faciat. Concionandi munus adeò olim Episcopis familiare fuit, vt solis id competere videretur. E nostris Episcopis duo quod sciam supersunt, qui non erubescunt Euangelium, Carnouius meus, & Ioannes Demetrius Solikowski, ambo & Archiepiscopi, ambo pij, eruditi, & cæteris ad imitationem propositi Sequor ego, & sequi adnitar quantum Dominus facultatis indulserit, cum natura denegasse videatur, illam Diuinam Eloquentiæ vim, nec hætenus accesserit exercitatio quam vobis diligentissimè commendo. De visitanda Diocesi commissioq; curæ Episcopali grege vniuerso lustrando exactas accuratasq; regulas sacri Canones nobis proposuerunt, atque adeò eius functionis curam & executionem Episcopis demandarunt, vt si omnes Pastoralis muneris rationes expendere voluerimus, potissimum visitandæ totius Diocesis functionem & à sacris Canonibus iussam esse, & ad officium Episcopi pertinere reperiemus, adeò vt ipsamet residentia nullius frugis censeatur, nisi omnis nostra occupatio visitationi præcipuè deseruiat. ac cætera quidem alieni ministerij auxilio nonnunquam licebit exequi, vicariaque demandata functione partem oneris in idoneos transferre sacri operis cooperatores: at lustrare Diocesim singularum Ecclesiarum, explorare statum, inquirere in vitam moresque quarumcunque personarum, vitia extirpare, plantare virtutes, nosse faciem ouium suarum, adeò proprium munus Episcopi est, vt per alium vix ac ne vix quidem rectè & tuto expediri possit. Cuius quidem visitationis ex

99
Concios
nari.

100
Visitare
Diocesim;

101
Visitatio:
nis Eymū.

sacris literis duplicem significationem colligimus.
 nam & vindictam quandam pænæque commertæ
 exactiōem denotat, vt illud Exod. 20. visitans ini-
 quitates Patrum in filios vsque in tertiam & quar-
 tam generationem; & pacis salutisque allatæ indi-
 cium est, sic Psalm. 58. Intende ad visitandas omnes
 gentes & Psalm. 105. visita nos in salutari tuo, & in
 Cantico Zachariæ. Visitauit nos oriens ex alto. v-
 erumque visitantis munus, qui & salutare medicina:
 lesque animi morbis infligit pœnas, & aduentu suo
 lætificat corda subditorum, quos fideles & muneri
 suo intentos reperit. Complectitur, vt visitatio non
 ineptè definiri possit; Inquisitio Visitoris circa re-
 gimen locorum, & vitam personarum quæ visitan-
 tur, ad sanam doctrinam pulsus hæresibus inducen-
 dam, bonos mores tuendos, malos corrigendos. Sa-
 crum Concilium Tridentinum voluit, vt singulis
 quibusque biennijs Episcopi suas visitarent Dico-
 ceses. Id quidem ijs locis in quibus arctiores sunt
 diocesium termini commodè fieri potest, nostræ in
 Polonia iurisdictiones ita latè patent, vt toto bien-
 nio vix si singulas Ecclesias adire, nedum exactè
 visitare volueris circumiri possint, his alias adde-
 functiones Senatorias, amicorum officia, itinerum
 difficultates, valetudinis discrimina, aliaque impe-
 dimenta. Et hinc vel maximè apparet quantum
 onus & quam periculofam functionem Episcopi
 in Polonia, & fortassis in Germania, sustineant,
 quibus adè non est expedita ratio muneris sui,
 quique etiam si summo conatu nitantur, id tamen
 ad quod se obligatos & obstrictos esse norunt exc-
 qui

102

Scf. 14.
 cap. 3.
 Biennio
 quouis vi-
 sitandæ Ec-
 clesie. sed
 non in Po-
 lonia ob
 amplissi-
 mas Dico-
 ceses.

101

Scf. 14.
 cap. 3.

qui non possunt; quæ res plerisque deterruit, ut ne auderent quidem munus visitationis per se agredi. At Hieronymus Rozdrazeuius Vladislauensis nequaquam suæ Diœcesis amplitudine deterreri potuit, quin id munus in persona sua feliciter & cum laude exereretur. Ad eius exemplum præclare se conformat Albertus Baranouius Episcopus Plocensis, cuius tamen rigidiores animaduersiones & exacta quædam censura morum non omnibus probatur, nempe in aula Regia educatus, & qui nunquam antea vidit alios hoc munus obeuntes suis nititur experimentis. Sed cæteris omnibus palmam huius laudis præripuit Georgius Cardinalis Raduilius Episcopus Cracouicensis; non ille Ducum, è quibus genus duxit, fumosis tumebat imaginibus, sed veluti quoddam eximæ humanitatis speculum sui semper similis, & cunctis amabilis vixit, nulla vnquam labe notatus, singularis vitæ ad numeros optimi Episcopi compositæ laude sanctitatis conspicuus. Tenerioris erat & educationis, & valetudinis, sed ista corporis imbecillitas, animo eius zelo Diuini amoris & salutis humanæ flagranti impedimento non fuit, quin grauissimos quosque labores in perlustranda & recensenda, vniuersa Cracouicensi Diœcesi susciperet, idque ad eò secundo euentu, ut nouam quandam lucem sparsis per omnia loca latè patentis Diœcesis singularibus sanctitatis vestigijs intulisse, videatur. Monasteria hominum vtriusque sexus, quæ olim fædo vitiorum cæno fætebãt repurgata, & pristino nitore ad normam

103

Strenuissimorum Ecclesiarum visitatores in Polonia.

suo

suorum institutorum restituta, clerum officij sui penè oblitum, formatum melioribus præceptis, & iam accuratius muneri suo incumbentem cernimus. tantum præstitit vnus Episcopi diligens & exacta sollicitudo: quem vtinam cæteri imitari vellent. ego sanè in hoc ipso primo meo ad Episcopatum ingressu hoc cogito, hoc molior, vt primo quoque tempore visitationis munus aggrediar, neque ante finem huic labori imponam, quam tota lustrata Diocesi, & oues meæ me cognoscant, & ego vicissim explorato illarum statu, de nomine & facie eas agnoscam. iamque & tempus & itinera ita partior, vt si non omnia Diocesi loca primo anno adeam, sequenti deinceps anno captum hoc munus visitationis expediam. In ea functione obeunda illud ante omnia curæ esse debet. Episcopo, vt se familiamque suam & totum comitatum ita exhibeat ita conformet, ne quid scandali aut offensionis ex illo illiusque comitatu in quenquam deriuetur: tum vel potissimum omnibus virtutibus elucere studeat, vt quacumque iter fecerit, quæ loca adierit, vbi que impressa relinquat sanctitatis vestigia: omnes modestiam, sobrietatem, temperantiam, humanitatemque suspiciant & admirentur, in vestitu decorum seruet, nec tam in eo exquisitam elegantiam, quam statui suo conuenientem dignitatem confectetur: à comestationibus & exquisitioribus ferculis omninò absteineat. quotiescunque hospitium vel ædes alicuius nobilioris viri (neque enim putarem ab hoc etiam visitationis genere abhorrendum esse) ingressus fuerit, meminerit se eo fine ingressum esse, vt sale purificante vlcera & vulnera færentia,

exsic-

104
 Quid præ
 oculis ha
 bendum in
 visitatio-
 nibus,

exsiccet, lumineque sanctæ conuersationis inferna-
 lium tenebrarum caliginem discutiat; sermo eius sit
 verecundus, ac purus, & non nisi de rebus diuinis,
 interrogationes nec curiosæ, nec temerariæ, respon-
 siones deliberatæ, & maturi iudicij testes, omnis de-
 niq̄ue eius occupatio in suscepta functione versetur.
 Sed ne videar me vos velle meis informare verbis,
 adijciam grauisimum Concilij Tridentini decre-
 tum. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in
 Concilio Carthaginēsi, non solum iubet (sancta Syno-
 dus) vt Episcopi modesta suppellectili & mensa ac
 frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo
 vitæ genere ac tota eius domo caueant, ne quid ap-
 pareat quod à sancto hoc instituto sit alienum,
 quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanita-
 tum contemptum præferat. Omnino verò eis inter-
 dicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos fami-
 liaresque suos augere studeant, cum & Apostolo-
 rum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ
 Dei sunt, consanguineis Episcopi donent, sed si pau-
 peres sint, ijs vt pauperibus distribuant, eas autem
 non distrahant, nec dissipent illorum causa. Imò
 quàm maximè potest eos sancta Synodus monet,
 vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, pro-
 pinquosque carnis affectum, vnde multorum malo-
 rum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant.
 Hactenus decretum Concilij. Et licet hac sanctione,
 non tam uisitationis modus, quàm vita Episcopi de-
 scribatur, idem tamen vel potissimum eo tempore,
 dum per suam Dioecesim suæ sanctitatis, qua fulge-
 re semper debet, salutaria circumfert ac spargit mo-

105
 Episcopis
 qualis vitæ
 ratio præ-
 cipue dum
 uisitant.
 Sec. 16.
 cap. 1.

106
De non di-
tandis ab
Episcopo
consangui-
neis occa-
sione cita-
ti Triden-
tini decreti
digressio.

107
Pessimo ex-
ventu ditā-
rant suos.

Albertus
Iastrzemb-
becius.

nita, talem se exhibere debet, qualem sacra scripturā
& Canones Ecclesiastici cum esse volunt. Ac meritō
quidem id vel maximè præcipitur, ne Episcopi suos
Consanguineos collectis ex bonis Ecclesiæ opibus
ditent: ventum id semper fuit, & postea continuis fe-
rè experimentis docemur, improsperas nec diuturnas
esse eiusmodi opes, quæ ex fructibus, vsibus paupe-
rum dicatis subtractæ, ad euehendas & illustrandas
Episcoporum familias conferuntur. Albertum, qui
postea Iastrzembecius dici voluit, tenui humilique
domo natum esse constat, cum, cum pater pedes pe-
ditem Bessouam, in qua templum parochiale erat, ad
scholas deduceret, sumptu mendicato alendum, hor-
tatus est, ut si quando ditior factus esset, parentis
fratrumque suorum (sex ij erant) paupertatis & ex-
tremæ egestatis nè obliuisceretur. Ille quidem ali-
quantisper literas doctus, cum earum subsidio ex-
puluere mendicitatis paternæ emerfisset, adeò moni-
torum patris fuit immemor, ut nihil pensi haberet,
dummodo opes accumularet quàm maximas, ijsque
indignos augetet hæredes. itaque ambitione & fæ-
mineo suffragio adiutus, cum Episcopatus Posna-
niensis amplissimæ opes cupiditatem eius parem ex-
plerent, sinistris delationibus effecit, ut Rex Vladis-
laus Petrum Vissum Episcopatu Cracouien. deiec-
tum Posnaniam detruderet, & Iastrzembecium
Cracouiam transferret. Pænituit quidem huius rei
postea Regem, adeò ut cum Posnaniæ esset, seuocato
in quoddam secretius delubrum Petro Episcopo, in-
genua procumbens supplex ab eo facti veniam pe-
teret. Sed Iastrzembecius fraude paruo Episcopatu
poti-

potitus litem quoque eo nomine sibi factam elusit, magnisque coaceruatis thesauris ingenti suo dolore à prodigis fratrum suorum filiis & nepotibus eos abliguriri vidit. Eorum vnus Derislaus Rituanius Martini Lenciciens. Palatini filius ingentem thesaurum, ab Archiepiscopo magno Patruo suo clam paucis conscijs (inter quos ipse quoque fuit) defossum, viuentem adhuc Archiepiscopo effoderat, ex eoque Varfauiæ, dum infano Euphemix Boleslai Ducis Masouix filix amore ardet, & ad fenestras eius frustra suspirat, quadraginta argenti marcarum millia nepotando decoxit: quam rem ita Iastrzembecium tantum Archiepiscopum Gnesnensem ægrè tulisse ferunt, vt mox animi angore cōficeretur. Reliqui quoque nepotes ipsius, quos ille ad summos dignitatum gradus euexerat, parem exitum habuerunt, ac tota numerosæ stirpis extincta prole, tanta sollicitudine ambitiosi Episcopi decus & opes partæ in alienam, eamque magna ex parte Ecclesiæ inimicam familiam translata sunt. De Ioanne Grusciniio gentili meo quid dicam? eius maximè ambitione factum est, vt iura Ecclesiæ Regiæ potentix summo Regis Casimiri III. & Regni cum dedecore, impiam vim experirentur. Is cum ex Episcopatu Vladislauensi, deiecto Iacobo Sienienio Cracouiensē inuasisset, postremò Archiepiscopus Gnesnensis renuntiatus, amplissimas fratribus coemerat possessiones, de quibus cum ij, viuentem adhuc Archiepiscopo, armis contenderent, eò postremo res deuenit, vt alter eorum Archiepiscopum in Arce Opatouecen. obsidione, cinctum, intentato mortis metu ad iniquissimas conditiones adigeret.

IOH
Gruscinius;
Ioannes

Sed audiamus Cromerum illius supremum vitæ exitum describentem. Obijt (inquit ille) Ioannes Gruscius Archiepiscopus Gnesnen. cum Cracouiam à Rege euocatus venisset, repentina correptus amentia, ita vt neque Sacramentorum in extremo vitæ articulo more Christiano particeps fieret, consentaneum exactæ vitæ exitum consecutus. Fuit enim in omne genus libidinum & audaciæ proiectus, cuius ambitione Cracouiensis Diocesis grauitè, vt supra memoratum est, diuexata erat. Auaritiæ verò & immoderati in euehendis & locupletandis fratribus studij seu verius cupiditatis fructum, qualem oportuit, viuens non decerpfit: nam eo demum defuncto, de Cosmino, quod grandi pecunia mercatus erat, inter Bartholomæum Castellanum Sendomirien. & Nicolaum cognomento Cosmidrum fratres eius germanos certatum est. Exequias quidem non admodum honorificas habuit, dedignantibus cum hoc honore sacerdotibus tam Cracouien. quam Gnesnen. basilicæ, in qua sepultus est. Hæc Cromerus. Addo ego præterea, ne à fratribus quidem, quos inuidiosis opibus auxerat, honore sepulchri dignatum fuisse, & nisi multis post annis Ioannes Lascus Archiepiscopus Gnesnensis hunc honorem, extructo marmoreo tumulo; ei habuisset, ignoto posteris loco delituisset. Hanc videlicet gratiam fratres nepotesque, pæne Ecclesiæ pastri, referunt Episcopis & sacerdotibus benefactoribus suis vita functis, vt nec animæ nec corporis eorum ullam rationem habere velint. Sed quid vetera reuoluimus & obsoletam antiquitatem vexamus? in oculis nostris nuper extincta est Gorcanadomus,

109)
Vriël Gort
canus.

domus, cuius ille omnis, qui tantoperè splendere videbatur, fulgor ex Ecclesiæ sacris creuit elemosynis, sacrilego ausu ad augendas opes familiæ conuersis. Duo erant Episcopi eius cognominis, Vt primus Posnaniensis, qui prima tecti domus eius fundamenta, qui tamen moriens testamento obstrinxit successores, ne vnquam à fide Catholica desciscerent, si secus fecissent, domui, stirpique suæ exitium imprecatus. At Lucas Gorcanus Palatinus Posnaniensis potissimum auaritiæ notatur, quod relicto statu seculari, ambitiosè primo Episcopatum Cracouiensè concupiuerit, mox ea spe deiectus, vt Episcopatus Vladislâuiens. sibi deferretur, magna contentione, factionibus etiam priuatis extorsit, quem nec ad utilitatem Ecclesiæ gregisque sibi commissi salutis curam, sed ad parandas immensas opes ditandisque filios, & nepotes suos, iam tum hæreticos gessit. Sed quo successu? nepotes eius perpetua damnati sterilitate, nulla relicta stirpe è vita excesserunt, hæreditas eorum, vt Prophetæ lamentantis verbis vitar, versa est ad alienos, & quasi quodam damnata exitio, nec hos quoque ditauit, sed iterum ad alios translata dominos, certum stabilemque non habet possessorem: hæret videlicet in ea culpa vsurpatæ, & in profanos vsus versæ rei sacræ, quæ vix in quarto hærede expiari potest. Dzierzgowij ignota stirpis origo, eo tamen Archiepiscopo Senatorium decus in domo eius fulsit, nunc ne memoria quidem extat eius familiæ, vt an vnquam fuerit, meritò dubitari possit. Hic idem exitus Padriuios vereor ne maneat, fata enim ipsa eos quoque vrgere videntur. Non

Lucas Gorcanus.

IIO
Dzierzgowij
uius.

Philippus
Padnic-
uius.

III
Opatouec-
ciense op-
pidum à
monasterio
Tinecensi
quomodo
ad Padnic-
uios deue-
nit.

fatis fuit patruo eorum Philippo Padnicuio, quod quidquid ex bonis Ecclesiæ collegit in profanos familiæ vsus, in coemendas amplissimas possessiones contulisset, etiam à Monasterijs abstracta prædia illis obnoxia fecit. Nuper Opatouecium cum transiremus, nobile quondam Abbatis Tinecens. oppidum, quæro æquis nunc eius loci Dominus sit? Stanislaum Padnicuium Castellanum Osuieciemen. respondent ciues, eius possessione & vsufructu potiri. ob quod, inquam, meritum? nepos Episcopi Cracouiensis fuit: hoc vnum videlicet sufficit, ad amplissima capienda præmia, si nepos sis Episcopi, licet iura veterent, licet directus hæres renuat, licet is qui capit nec meritis sit nec mereri possit, habeat tamen præmia benè meritorum: iam si vel grati essent, si tutelam bonis præstarent, ferri vtque possent. Vidistis ædes Abbatiales amplissimas Opatouecij corruisse, nullum superesse prædialium ædificiorum vestigium, ciues denique queri, quod nemine defendente omnium iniurijs pateant. Melius fecisset Padnicuius Episcopus, si illas ruinas templi & Monasterij Tinecensis quibus ille nobilissimus locus vetustatis vitio, & non satis idoneo structo ab initio ædificio laborat, Abbati resarcire sequestratis in eum vsu fructibus prædij & oppidi Opatouecensis demandasset. Et huius quidem Monasterij ac Templi restaurati laus alterum fortasse è vobis olim manet, sed ille pœnam, quâ Abbatem ob probri non dubias suspiciones multaturus erat, vertit in commodum nepotis, & ita nisi Abbas luxuriosè vixisset, caruisset Opatouecio Padnicuius. Tales erant olim

& in

& in hunc finem institutæ ab Episcopis Monasteriorum Abbatialium visitationes, vt semper aliquid decerperent. Audiuissè vos arbitror, quod ego nar-
 rante Stanislao Skarszeuio Canonico Cracouiensi, viro, quem qui ob singularem animi candorem, non amat, indignus ipse est qui ametur, didici, Petrum Myscouium Episcopum Cracouiensem Mic-
 chouiam olim diuertisse eo animo, vt in Simonem Lugouium Præpositum Micchouiensem, votis religiosis obstrictum, qui vt perditè luxuriosus audiebat, animaduerteret. Sensit re & nomine Simon, quid Episcopo cordi esset, ingentem cantharum argenteum quingentis taleris onerat, eumque Episcopo offert, actum transactumque, est, & tanti fuit turpitudinis pretium, turpe danti, turpe accipienti. Sed Myscouij quoque opes ad inuidiam vsque creuerant, tot contemptæ possessiones vel Ducatus potius, tot basilico opere structa palatia (dubito tamen, an vel vnicam ædem sacram pari impensa, quale in Xiázinenfi oppido palatium eum fecisse constat vllibi statuerit) tantum auri argenti que, tot congesti thesauri cesserunt nepotibus. Maior quidem pars eorum (hem, quàm improspera rei sacræ possessio) iam ad alios translata est dominos. Vnius Sigismundi Myscouij præclaræ virtutes mereri videtur, vt securiori & feliciori enètu patrum hereditate potiatur, modò posteri quoque ipsius, pari, vt ille voluntate, erga statum Ecclesiasticum, cuius ope creuerunt, sint affecti, alioquin ne his quidem diuturna futura est bonorum eiusmodi possessio. Ephraim, dicit Dominus per Prophetam, pascit ventos. Quid aliud agunt Episcopi

III
 Petrus Mys-
 zkowski.

Off. 12. v. 11.

opes

opes suis necessariis congerentes, nisi ventum pascunt qui præterlabitur, nec vnquam stabilis est, nec satiat. Quam præclarus facerent, si eiusmodi thesauros in solidis Ecclesiæ petris deponerent, vel per manus pauperum ad cæleste ærarium deferri curarent, v. l. & ipsis in die & tempore aduerso victus sufficeret, & militantis Ecclesiæ splendor augeretur. Ego sanè non vanus vates prædico & denuncio, nullum vnquam bonorum ex fructibus sacris Ecclesiæ vsibus adscriptis, quocunq; prætextu coemptorum, hæredem diu parta possessione gauisurum. Experti sunt id verum esse ij, qui ante nos vixerunt; deinceps quoq; non deerunt exempla, & perperam vsurpatæ rei Ecclesiasticæ, & frustratæ spei, dum quos dices relinquunt nepotes, eos mox nepotando bonis amissis egentes proxima videbit posteritas.

113
Ad inter
missam de
visitanda
Diocesi
tractatio-
nem, re-
gressus.

Visitantis
Episcopi fa-
milia quâ
morum pro-
bitate &
modestia
prestare
debeat.
De confid.
lib. 4.

Ex occasione decreti sancti Concilii Tridentini à proposito instituti sermonis longius me digressum fateor. Sed vt coeptum sermonem exequar, hic, inquam, Episcopo dum officij & muneris sui causa vniuersam lustrat Diocesim, enitendum est, vt omnes eum intueantur, quasi Angelum Domini de coelo missum, viros graues, doctos, nulla turpis vitij vel avaritiæ suspicione notatos penes se habeat, Clericorum obsequio in priuatis cubiculi sui etiam negotijs vtatur, sciatq; domum suam speculi instar lucere debere, & esse veluti publicæ disciplinæ Magistram: nam quidquid in ea agitur, id reliqui sibi licere existimant. Itaque quod olim Diuus Bernardus ab Eugenio alumno suo Pontifice maximo exegit, id sibi dictum putent omnes; Domum Episcopi (inquit,
melli-

mellifluus Doctor) decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas; horum disciplina-custos, sacerdotes domestici aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt. Multa nescias, plurima dissimules, nonnulla obliuiscaris. Sunt tamen quæ ignorare te nolim, mores quorumq; & studia: nec austeritatem suadeo tibi, sed grauitatem. Non oportet vt vitia domus tuæ vltimus scias, quod plurimis scimus contigisse. Si insolentior sermo coram te insonuerit, si indecens habitus apparuerit, manus tua sit super huiusmodi, tu vlciscere iniuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. In vultu in habitu, in incessu illorum qui tecum sunt, nihil residere impudicum, vel indecens patiaris. Præclare hæc sanctus Doctor vt reliqua omnia quæ Episcopo curæ esse debent, nam sine his visitatio rectè institui non potest. & si alium se familiamque suam Episcopus exhibuerit, vereor, ne loco salutaris pharmaci, pestiferum per suam, Dioecesin spargat venenum. Fastum vbiq; vitet, & superbiæ suspicionem; omnibus affabilem, & comem se præstet, nemo eius aditu arceatur, errantes paternè corrigat, in vitia lapsos ita castiget, vt memor sit quod & ipse circumdatus sit infirmitate, lachrymis potius suis, quàm acerbioribus verbis dolorem feruntque illorum prouocet, & in spiritu lenitatis Ecclesiasticam exerceat disciplinam. Denique tiara ipsius & baculus maiora præferant insignia dignitatis, quàm potestatis: quos corrigit non infamet, veniam poscentibus, facilem se, moderata adhibita animaduersione, exhibeat, in iure dicendo æqualem, seruet seueritatem, nec eam gratia vel mutari vel va-

115
Impotens
animus in
Episcopo
improba-
tus.

riari patiatur; adiungatur facilitas in audiendo, lentitas in discernendo, in cognoscendo diligentia. Vrsos potius eos dixerim, quàm homines, qui ita iracundia exardescunt, vt sui oblitisci videntur. Nihil est, inquit Cicero, tam deforme quàm ad summum imperium etiam acerbiter naturæ adiungere, quod vilis planè animi est, & suos impetus regere frenoq; rationis retinere non valentis. Prorumpunt nonnulli iudiciorum etiam sacri Præsides ad indecora quænis, dum vel palam digitos in obscænos formatos vsus, ijs quibus irati sunt ostendunt, vel turpes crepitus ore effingunt, vel denique alienæ vocis sonum efformando mimos agunt, ridiculi magis ipsi, quàm vt alijs risum moueant. hos torquere haud necesse fuerit, vbi vino & ira incaluerint, produnt secreta, dicenda tacendaque locuti; homines, Principes, ac Deum ipsum conuitijs proscindunt, & simul atque in possessionem sermonis venerint, ipsi sibi sapiunt, ipsi se amant sine riuali, dicta sua quasi ex tripode Apollinis profecta à nemine redargui debere cèsent, & si contradixeris exardescunt. Cum verò in contentionem inciderint, terram cælo miscunt, periurijs denique vbi rationes non suffecerint, ambitiosos suos impetus fulciunt. Tales si quando emergunt, & ijs magistratibus, in quibus summa Reipub. consistit præficiuntur, quid non audent? quid non moliantur? Melius facerent Principes, si palatijs suis vel leones, vel rabidos canes oberrare sinerent, quàm vt tales homines impotentes suis consilijs præficerent. nam illi in corpora saltem sæuirent, his decus & existimatio optimi cuiusque ludibrio est. Ab omnibus sanè

sanè sed potissimum ab Episcopis, in quorum mores omnium oculi coniecti sunt, adhibenda est quædam reuerentia, & quid, maximè in quavis actione, deceat, expendendum. Nam negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omninò dissoluti, & plerumque tales neminem amicum habent, nullum socium, nullum fidum ministrum, nullum denique qui eos interdum officij moneat: ijs tamen si quis magno animo acrius obstiterit, ita deponunt vel despondent potius animos, ut isti fuste non facilius coerceantur & in ordinem redigantur. De Ioanne Carnouio Episcopo Vladislauensi nostri Archiepiscopi patruo pleraque feruntur, que iracundum nimis cum fuisse arguunt. Exardescit interdum & Archiepiscopus, sed citra furorem. Tili- cius magis, qui vnâ eademque hora & irascitur, & mox sui compos, suam ipse castigat immoderatam, excandescentiam, quæ interdum in immodestos etiam corporis motus erumpit, non sine magno tanti viri dedecore. Tuli ego, cum Referendarius iudicij Regijs ei assiderem, ipsius impetum modestè, at non eorum, quibus ille nimium permittebat insolentiam; neque enim ferenda erat, sed temeritas iuuenilis grauitate senili reprimenda. Scitis quos mea signet oratio. vidi vtrumque cum in Suecia essemus pallere periculo, metu concuti, nec eam quàm alias præferre videntur seruare animi magnitudinem. Risi timidam leuitatem, risumque meum conuicio insectanti, & insipientis esse in periculo ridere asserenti, alteri eorum respondi; Tu verò, inquam, desipis qui mihi in re mala bonam mentem, quæ dimidium mali est, inuides.

MONITA DE RECTE

Sed nescio quo pacto meus sermo ab instituta de visitationis munere, oratione huc deflexit, nempe non abs re visum, vitijs virtutibusque commemoratis, hæc vestris inculcare auribus, quæ maximè deceant, aut dedeçant tam sublimem statum. Monita salutaria à Diuo Bernardo, Eugenio tradita, sciant Episcopi sibi esse necessaria, malo illa verbis illius exequi quàm meis. Quid (inquit ille) Episcopo turpius, quam incumbere suppellectili & substantiolarum suarum, scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moueri ad quæque perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico quorundam eiusmodi, scrutantium quotidie omnem substantiam suam, numerantium singula, de minutis & quadrantibus exigentibus rationem. Non ita ille Ægyptius, qui Iosepho omnibus traditis ignorabat, quid haberet in domo sua. Erubescat Christianus Christiano sua non credens: homo sine fide, fidem tamen habuit seruo, super omnia bona sua constituens eum, & hic erat alienigena. Mira res: satis superque Episcopi ad manum, habent, quibus animas credunt; & cui suas committant facultatulas, non inueniunt. Optimi videlicet aestimatores rerum, qui magnam de minimis, paruum aut nullam de maximis curam gerant. Sed vt liquido datur intelligi, patientius Christi ferimus iacturam quàm nostram. Quotidianas expensas quotidiano recipimus scrutinio, & continua Dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum & numero panum cum ministris quotidiana discussio, est rara admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit asina & est qui sub-

De confid.
lib. 4.

Notantur
Episcopi,
magis ad
rem quàm
ad curam
pastoralem
attenti.

subleuet eam; perit anima & nemo qui reputet. Nec mirum, cum nec nostros quidem assiduos sentiamus defectus. Nonne ad singulas istas supputationes irascimur, vrimur, anxiamur? Quam tolerabilis rerum, quam mentium sustineremus iacturam? Quare, inquit Apostolus, non magis fraudem patimini? Quæso, tu qui alios doces, doce te ipsum: si tamen iam non docuisti pluris te habere, quam tua. Transitoria ista, quæ stare tibi nullo pacto queunt, fac, vt à te transcant, non per te. Riuus qua fluit cauat terram; sic discursus temporalium conscientiam rodit. Si potest torrens in agros excurrere sine læsione satorum, & tu, te ista sine vulnere mentis posse tractare confidito. Et paulò infra pulcherrimis colorum luminibus, & exactiori manu depingit sub imagine Eugenij vniuscuiusque Episcopi faciem. De cæterò, inquit, oportet te esse formam iustitiæ, sanctimonix speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum Ducem, amicam sponsi, sponsæ paranymphum, Cleri ordinatorem, Pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum Tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem altissimi. Hactenus ille. Hanc vultus & præclaræ personæ speciem si Episcopus per Dioccesim suam circumtulit, an dubitandum erit, eum vtiliter munus suum expleturum?

L. 3. Non

1. Cor. 6.

119

Munus Episcopale graphicè depictum.

120
 Visitanti
 Episcopo
 in quos in-
 quirèdum.

Non exequar cætera in quos & quomodo eum
 Inquirere oporteat, cum res ipsa & materia vltro illi
 sit occurrura: nec defuerunt, qui methodum visita-
 tionis ex intimis sacrorum Canonum penetralibus
 depromptam exactè tradiderunt. hoc solum adijciend-
 um videtur, vix expedire, vt Episcopus in eos in-
 inquirat, quos sedes Apostolica peculiaribus rescri-
 ptis suæ referuauit potestati, nisi ij extra orbitam
 suorum Claustrorum exceſſerint, & vel priuatim,
 vel publicè in leges sacras commiserint, scelusue ali-
 quod palam perpetratum non vindicauerint. Deniq;
 suffecerit Episcopo illis contentum esse iurisdic-
 tionis finibus, quos sacri Canones & nouissimè sacro-
 sanctum Concilium Tridentinum posuit. Sciat au-
 tē nihil magis infamare vel ipsum, vel ipsius comita-
 tum quàm sordes auaritiæ, à quibus non modò ob-
 grauisimum, quod inde oritur scandalum, verum eti-
 am ob iuris Canonici expressam prohibitionem, pu-
 ras omninò debet habere manus. Si alio referente mi-
 hi narratum fuisset, vix crederem, quod nudius ter-
 tius vnà vobiscum expertus sum. De illo Parocho
 dico, quem de contubernio fæminæ infamatum ad
 me, vt scitis, acciri iussi. Venit, interrogatusq; nec
 crimen diffiteri ausus, schedulam protulit, manu No-
 tarij Episcopi scriptam & subscriptam, in qua conti-
 nebatur, illum antea de impudica cum eadem fœmi-
 na consuetudine accusatum, ac decem mulctatum
 marcis, pecuniam officio Episcopi dependisse. Paro-
 chus interea, vel simplex, vel vafer, eam apocham,
 quasi vt impudicè palam cum scorto consuetudi-
 nem deinceps permittente Episcopo habere sibi lice-

121
 Auaritiæ
 nota in vi-
 sitatione
 cauenda.

fer, interpretatus, eius præsumptæ indulgentiæ concessione, coram me, se factumque suum tueri ausus est. Obstupui cum iterum atque iterum à me interrogatus, planè impudenter idem assereret, seque non inuitum muliere cariturum fuisse, si pro ea redemptio accepta non fuisset; nunc post talem transactionem se altera pœna plecti non posse. Quid agerem? pœna leuiori castigatum, & scelus detestantem, ea conditione dimisi, vt impudicam mulierem statim eijceret. Scio Gosticium antecessorem meum esse extra omnem culpæ suspicionem, neq; ab illo Ecclesiasticæ discipline rigorem addictum pecunia; sed Notarij manifesta cupiditas, homini simplici præbuisse videtur interitus grandem occasionem. ita ij solent qui & sui & Episcopi decoris obliti, venalia omnia habent.

Venio ad postremam propositionis meæ partem, in qua me dicturum recepi de ea functione, quæ Episcopis in Polonia, vti primarijs Regni senatoribus, incumbit. Dico Episcopos primarios vel primos potius esse regni senatores: nam si rem ad initia reuocemus, principio inductæ & susceptæ in Polonia religionis Christianæ, vix vllū Senatus aut concilij publici vestigiū erat; Princeps vnus & solus omnia poterat, eius voluntas, lex non scripta sed iussa, & cui nō parere capitale habebatur; Episcopi primi aliunde huc acciti, ex vsu aliorum Regnorum & ex præscripto sacrorum Canonum, hac conditione se esse non posse ostenderunt. Et Principum nostrorum pietas, nō solum omnem à Regia iurisdictione exemptam libertatem illis indulsit, verum etiam viros illos graues, eruditos, & sanctitate illustres, cū sibi & Reipublicæ vtilis

122

Episcopus
in Polonia
vnā etiam
Regni Sena-
tor.

123

Senatus in
Polonia ex
Episcopis
prior quā
ex seculas
ribus.

124
Eorum, de
cimarum ius.

125
Prærogat
iuz.

126

vtiles fore animaduertent, eos vt Principes, vt Pa-
tres venerati, ex eorum deinceps sententia & confi-
llo Rempubicam se gesturos professi sunt; illis vt le-
ges ad formandum Ecclesiasticum Politicumque
statum scriberent, illis vt ius summarium dicerent,
permiserunt, ac pænè æquata potestate, in confor-
tium regiminis eos cooptarunt, concesso insuper de-
cimarum iure, quod ex vetusto Poloniae Principum
instituto, vsitatum Regum vestigal erat. Neque mi-
hi quisquam obiecerit Palatinos Religionè Chri-
stiana antiquiores in Polonia fuisse; facile enim qui-
uis linguæ Polonicæ non ignarus respondebit, hæc &
similia nomina non consiliariorum, sed belli & Ca-
strensiū officiorum fuisse. Extant antiquissima Re-
gum nostrorum rescripta, quibus Episcopus Polo-
niæ, Principes Regni fratresque suos nuncupant. Bo-
leslaum cognomento Chrobri victoriosum Princi-
pem, tantum Episcopis honorem habuisse testantur
Historici, vt stante Episcopo, nunquam ipse sedere
vellet, nisi idem etiam assedisset: id ab alijs quoque
Principibus factitatum & obseruatum fuisse nemo
dubitauerit. Sed illa auctoritas, Reges quotiescunque
res poscebat liberius monendi, redarguendi, improbis
etiam eorum cupiditatibus resistendi, maiori reliquis
omnibus potestate & dignitate Episcopos fuisse præ-
ditos facile conuincit. Neque mihi diu immoran-
dum est in explicanda & comprobanda in Regno
Poloniæ prærogatiua status Episcopalis, nam &
nunc vel inimici nostri fateantur necesse est, & iure
primarium nobis locum deberi, & in eius iuris pos-
sessione perpetua nos fuisse. Non deerant iam olim,
qui

qui nos loco mouere vellent, qui iuribus nostris Rempubli-
cam gravari dicerent. Decimarum quidem, & si ex, vt dixi, Principibus ante susceptam fidem
Christianam solui solitæ fuissent, exactionem primò
impugnârunt, nonnulli ex Neophytis maioribus no-
stris; sed inelytus Rex Boleslaus Chrobrius seuera
animaduersione gliscentem eam temeritatem mox
coërcuit: & haud scio an maiores nostri de eo onere
vnquam questi fuerint ad vsq; Casimiri magni tem-
pora, eo regnante, & quassatum internis externisque
bellis imperium pacis artibus propagante, & subdi-
ti, & Rex ipse Bozantæ Episcopo Cracouiensi de-
cimas ob certas causas soluere detrectârunt. Tra-
ctus omnis territoriorum Lublinësis, Lucouiensis, &
Tzchouensis, Tartaricis, Russicis, & Hungaricis in-
curSIONibus fœdatus, vastatus, incultusque erat, in-
eum cum Rex & Nobiles novos colonos inducerent,
ab ijs exigi decimam iniquum putabant, non tamen
ad rapinam versi, controuersum negotium Iaroslao
Bogurizæ Archiepiscopo Gnesnensi viro sancto, ar-
bitrali sententia definiendum permiserunt, & ille ex
æquo & bono rem decidit cui decreto hætenus ma-
gna ex parte paretur. Id actum est 1369 vitæ Casi-
miri penultimo anno. Cuius rei à Cromero nostro
nullam fieri sub id tempus mentionem miror: sed tam
solenne arbitramentum Regis assensu comprobatum
in volumine legum habemus. De loci prærogatiua,
Duces quoque Masouizæ primò in Coronatione
Vladislai III, deinde in coronatione item Casimiri
III contra Episcopos niri coeperant, veluti Principi-
bus è sanguine Regum Polonizæ ortis primus secun-

Contra Sec-
narum Ece-
lesiasti-
cum, ob
Decimarū
exactionē,
sationes.

127

De loci præ-
rogatiua or-
lim inter
Ecclesiasti-
cum statū,
& Duces

M

dum

Masouia
contentio,
nunc etiam
vana inui-
dorum de
eadem mur-
muratio,

dum Regem in Senatu locus deberetur; sed in ea quo-
que tam graui concertatione, tenuerunt ius suum Epi-
scopi, primæque ante ipsos Masouios Duces illis ad-
iudicatæ sunt partes. Scio hætenus multitare quos-
dam, quod ad vtrumque Regium latus assideamus,
alterum Senatoribus secularibus deberi contendentes; sed id quoque & nouum & insolitum, cum hæ-
tenus semper aliter obseruatum fuisse satis constat.
In omnibus etiam, iisque & antiquissimis & recentioribus Regum nostrorum rescriptis, quotiescunque fit mentio Ducum vel Principum, non alios intelligere licet, nisi Episcopos: nam ex antiquissimis Patriæ nostræ institutis, nemo Senator in Consilio publico, nemo cum prærogatiua ferendi suffragij esse poterat, qui ex Ducum vel Principum esset sanguine: quare, ne duces quidem Masouia in Senatu locum habebant; ad actus tamen solennes adhibiti, vt supra inuimus, Episcoporum prærogatiuæ frustra loci prioris affectatione detrahere conabantur; cumque in omnibus, quæ hætenus extant diplomatibus, qui præsentibus adscriberentur, ea & seruata est & seruatur formula, Præsentibus Reuerendissimis in Christo Patribus Dominis (quo nomine neminem subditum, ac externos etiam non nisi Principes Rex Poloniæ dignatur) Episcopis. Tum mox disiunctiuæ coniunctione adiecta, Nec non Magnificis: vt manifestè appareat istos inferioris esse ordinis. Neque tamen quisquam existimauerit, nos ita Episcoporum dignitatem demonstrandam suscepisse, vt alterius ordinis ius impugnare velimus; constat & his sua dignitas eximijs ornata prærogatiuis, nobis satis fuerit
decla-

Declarasse, alio nomine, & prius Episcopos Senatorem in Polonia dignitatem adeptos esse, diuerso & posterius hoc idem munus secularibus communicatum fuisse. Itaque hi quotiescunque libidine & arbitrio Principum vel leges publicæ in discrimen venirent, vel vis priuatis fieret, vel iura patrimonij Reipublicæ conuellerentur, ne hiscere quidem ausi; Episcopi sua vsi prærogatiua, quotiescunque opus erat, optimi semper & salutes erant Regum monitores, censores etiam acrioresque correctores. Neque enim hi, vt seditionem mouerent, vt suam potentiam augerent, vt populi fauorem sibi conciliarent, ad obfistendum Principum & Regum cupiditatibus, prauisque eorum actionibus studio, sed eorumdem, quos monebant, Principum, & patriæ amore permouebantur, neque vel periculo vitæ, vel gratiæ Regiæ amittendæ metu, ab officio deterreri poterant; nam, neque à Regum potestate eorum promotio dependebat, & quosuis honores vitæ sanctitate citra vllam ambitionem se consequi posse sciebant. Itaque quod olim Solon quærenti Pisistrato Tyranno; Qua tandem spe fretus sibi tam audacter obfisteret! Senectute, respondit. Idem quiuis Episcopus vsurpare potest, sibi libertatem Ordinis sui constare & constaturam frero status sui sanctitate. Hoc animo Diuus Stanislaus ad refrenandas Boleslai Audacis libidines accessit, nec calumniæ, quasi interuerso pretio, fraude Piotrouiense prædium occupasset, celsit. Ita animatus Iacobus Znienensis, Archiepiscopus Gnesnensis, castra Vladislai, fratres Posnaniæ oppugnantis, aggressus est, eaque, ominosa tentorij Regij ruina, pro-

128

Quales se
in functio-
ne Reipub.
olim præ-
stabant Ep-
iscopi.

129

Vnde tanta Episcopi
in Senatu dicendi & Reges
redarguendi libertas.

Santo Stan-
islao.

Iacobo Znien-
ensi Archiepiscopo
Gnesnensi.

Gedeoni
Episcopo
Cracouensi.

Zbigneo
Olesnicio
Cardinali
Episcopo
Cracouien-
si.

330

Stanisao
Craconio

stravit. Gedeonis Episcopi Cracouienſis ille ad Mie-
ciſlaum ſenem Apologus ab eadem animi magnitu-
dine originem ſumpſit Illa Episcoporum omnium,
ſub Caſimiro Magno in cauſa Pruſſica publica ob-
nuntiatio & contradictio, hinc profecta Et nè omni-
bus recensendis immerer, illa conſtantiffima ſemper,
& nulla gratiæ aut fauoris aura mutabilis Zbignei
Oleſnicij, nihil quod legibus libertatibusque Regni
contrarium eſſet, admittendi, eaque laudata obſtina-
tio. Hic iunior ætate, maiorem, &, cuius gratia creue-
rat, Vladiffiaum Jagellonem ſæpè redarguit, iratum
etiam, ſed poſtremò correctum, & ita æquo animo
paternas Episcopi admonitiones ferentem, vt mo-
riens ſuos liberos illius potiffimum tutelæ commiſe-
rit. Sed acrior illi cum Caſimiro Rege concertatio
fuit, longè is Patre obſtinatior, & magis in iram pro-
penſus, vitæ etiam Zbignei minas intentabat, ſed ille
paratus mori, non odio Principis, ſed amore potius,
vrgebat ius regni. Diuina illa eius in conuentu Cra-
couienſi pro Repub. vox, illa ſententia, quam Cra-
couienſis & Sendomiriensis Palatini, cæteris Senato-
ribus, nè Regem offenderent, tacentibus, comprobâ-
runt, digna eſt, quæ omnium annalium memoriæ ad
exemplum magni & liberi Senatoris inferatur. Et
Sigiffmundum Auguſtum (nam Sigiffmundi primi
imperium æquum pacatumque fuit) vel impari & pa-
rum honeſto cum Barbara Raduila matrimonio
implicatum, vel deinceps minus dignis Chriſtiano
Rege actionibus vitam traducentem, qui priuatim &
palam redarguerent, non defuerunt Episcopi. Carn-
couius ipſe, & ſi eius gratia creuiſſet, ſæpè acrius co-
horta-

hortationibus priuatis Regis illius aures fatigauit, & fortasse aliquid effecisset, si cæteri quoque Senatores, quibus Regia gratia suo officio potior erat, pari studio in eam curam incubuissent. Expedit ipsis Regibus, tales habere Senatores, qui non assentatorio more, & sententiam dicant, & priuatim Principem instruant. Miserum esse Principem apud quem vera silentur, dicebat Gordianus Imperator, expertus ipse & in Militho eum obiurgante fidem, & in Philippo blanditijs primo se se illi venditanti perfidiam. Tot equidem seculis quæ monumentis annalium nostrorum comprehensa sunt, etsi multi è seculari statu, sui commodi causa, nonnunquam ad rerum nouarum studia deflexerunt, Episcoporum actiones, & ipsæmet liberiores Regum obiurgationes salutem publicam, & tranquillum iustumque Principum imperium, supremam legem habebant, nec scio an vllus, Paulo Episcopo Cracouiensi excepto, motæ seditionis accusari possit. Nam Ioannes Muscata Episcopus Cracouiensis, quasi contra Vladislaum Locticum Silesijs fauisset, fortè immeritis pœnas luit, quibus & Abbas Tinecensis innocens obnoxius factus, multis prædijs multatus est. Multa tam eximie magnitudinis animi specimina recensere possem, nisi hæc ipsa, quæ attuli, sufficere viderentur. Neque sola Respublica Polona consilij Principes voluit esse Episcopos; etiam omnes aliæ gentes olim præcipuam partem Reipublicæ & publicæ salutis, sacerdotali autoritate niti voluerunt. Apud Ægyptios Rex idemque Sacerdos erat; Romanis exolum Regium nomen, Rex tamen Sacrorum constituebatur; in opti-

Archiepi-
scopo Gnest
nensi.

131
Miseri Prin-
cipes apud
quos vera
silentur.

Episcopos
rum in di-
cendo liber-
tas salutis
publicæ in
Poloniæ
Regno con-
seruatur.

132
Alijs quoque
nationibus
vñtatum es-
se, Sacerdo-
tes publico
consilio Pri-
mos adhi-
bere.

mè constitutis ciuitatibus, notæ virtutis emeriti ci-
 ues, sacras functiones obibant, iidem primas in Re-
 pub. partes tenebant. Christi Religione coruscante,
 quantum pij Christiani Imperatores Episcopis de-
 tulerint, quis nescit? postremò labente Imperio Ro-
 mano, in Germania primi Principes Electores Epi-
 scopi, nunc etiam ita tuentur statū, vt nisi illi aliorum
 Principum ambitioni irent obuiam, totum mutuis dis-
 cordijs distractum rueret Imperium. Neque Patria
 nostra, si rectè rationes expendere mus, parum debet
 statui Ecclesiastico: constat enim & retroactis secu-
 lis, & paulò remotiori tempore, sæpius salutaribus
 Episcoporum consilijs fulcitam stabilitamque fuisse
 Rempublicam, leges optimas ab eis scriptas, liber-
 tates prærogatiuasque Equestris Ordinis studiosè
 propagatas. Enim verò non imus inficias, pleraque
 & meritò nunc in ordine nostro desiderari: pestiferis
 illis discordijs, quæ nascente Hæresi in Polonia ra-
 dices egerunt, effectum esse non negauerim, vt & nos
 Ordini Equestri, & eius importunæ ac graues iuri-
 bus sacris flagitationes nobis suspectæ sint; ita tot
 annis veteris amoris, & societatis rupta com-
 page, toties sperata & tentata eorum, de quibus
 inter nos non conuenit compositio coire non potest.
 In multis præterea non obscurum rerum nouarum
 studium efficit, vt nobis secus, quàm oporteat vel de-
 ceat, affecti sint. Postulatur à nobis vt Regem, quod
 nonnullorum cupiditates largitione sua non expleat,
 quod patrimonium Reipublicæ simul non effundat,
 beneficiaque sua non vxoribus tantum eorum, sed
 natis etiam natorumque natis non communicet, ar-
 guamus.

133
 Aliqua iam
 in Ecclesia
 stico sena-
 tu desidera-
 ri, ostendi-
 tur.

guamus. Nam quæ iure ab eo postulari possunt, primi essemus, qui id vrgeremus; sed hæc non vi, non, seditione extorquendo, agendum cum Principe, dignitate ipsius salua; non cogi, sed rogari volunt magni viri. Ante aliquot annos quanta contentione actum est de Rege in ordinem redigendo, sinistris opinionibus onerata Principis existimatio, acti priuata auctoritate conuentus, concitatus populus, arma etiã penè intentata, dum illa, quã meministis apparatus inquisitio, cuius nullum aliũ fructum vidimus, nisi dedecus nostrum & auctũ populi in Principem odium. Quod his consilijs Episcopi se immiscere noluerint, accusantur quasi Reipublicæ defuissēt. Ego verò quo ad vixero, puto & reliquos Ordinis nostri idem facturos, nunquã seditionis factionibus me immiscebo, non is est modus saluandæ Reipub. nec ea necessitas, vt armatis cohortibus Comitium impleamus. Video ego à plerisq; id agi, vt cõcitato ad signa populo ingens quædam flamma exciteur; placet quibusdã armatum consiliũ, quale olim Hũgaris tumultuantibus simul & pereuntibus in vsu fuit. Rocos Hungaricum nomen est, quis autẽ ignorat gentẽ illam ad seditionẽ natã, eã ipsã supremum exitiũ sibi accelerauisse. Regna & imperia, quę diurna felicitate floruerũt, dum pacatis vsa sunt cõsilijs, hætenus steterunt; simul ac obtentu libertatum & iurium seditiosi ciues populum, concitare, & contra Magistratus armare cœperunt, distractis mutuis viribus summa rerum pessum ijt. Sic Romanum, sic Græcorum amplissima Imperia extincta sunt, sic nobilissimi Hungariæ Regni illum splendorem, illam amplitudinem, in cineribus

134

Cum Prin-
cipe quã
prudentiã
agendum;

135

Vana de
Senatu Ec-
clesiastico
querelæ.

Turbulen-
tum quod-
dam genus
hominum.

136

Imperia &
Regna se-
ditione pe-
reunt.

Rokosz.

bus & semirutis vestigijs concidisse, videmus. Sigismundo Primo imperante subita illa Castrensi ad Leopolum Equestris ordinis concitatio, simul & capta & sedata, nescio cur hoc fatale Rocossi nomen sortita est, alia forma, alia facies rerum nunc apparatur. Meditata cogitataque consilia in promptu sunt. Primarius quispiam, qui nunc multis nominibus fauorem populi sibi conciliat, & Regis gratia, qua nunc affluit, perniciem eidem molitur, author tanti, quantum nunquam Polonia vidit, tumultus erit. Hic fato functis ijs, qui eius conatibus obstant, specioso pretextu imponet populo, accitisque in societatem Hæreticis, armatus armatos coget conuentus, nouarum, earumque ex adytis quibusdam proferendarum rerum spargetur fama, esse videlicet quiddam (heu infelix & infaustum hoc quiddam) sibi notum, quod nisi ab omnibus sciatur, interitura sit Respub. Pellesti hoc rumore current omnes boni malique, non secus ac si genti recutitæ Messias natus renuntiaretur, multos metus denunciatarum nullo iure poenarum vel inuitos eò pertrahet, nam is libertatis asseritor, hoc ipso quod armatus leges cæteris præscribet, claustra libertatis primus perfringet. Quid REX interim? tota vario pretextu armata Polonia, ipse quoque necessaria induet arma? In partibus eius stabit Senatus, Proceres omnes, & flos iuuentutis Polonæ, miles, & exercitus Duces Arma vtrinque armis opponantur necesse est; quo euentu, exitus docebit. Hæc interim non ex extis, sed ex Reipublicæ nostræ constitutione diuinare licet, tot impensis grauata & fatigata Rempublicam, vereor ne & civili re-

sper-

Spersam sanguine, Regia clementia respiraturam: sed ut corporibus periculoso perfunctis morbo, non magis ipse morbus quam eius reliquæ nocumentum adferre solent, sic mista illa colluies, quæ sopitis domesticis motibus supererit, erumpet, & nouum Patriæ diuturnum & periculosum pariet bellum, cuius exitum, militarique licentia fædè oppressam Patriam vobis videre licebit, ego tantorum malorum inspector esse nolim. Sed hæ rerum conuersiones si eueniant, iam nunc animo prospicio, quantum inde odij publici ordini nostro accrescet. Episcopis errores omnes imputabuntur, ab eis gestæ Reipublicæ rationes petentur; Senatus quoque proditionis publicarum libertatum accusabitur: hinc leges perniciosæ, quas vis extorquebit, sument originem, graues statui Ecclesiastico, graues Principi ipsi, & magna ex parte statum Reipublicæ mutaturæ. Satis superque negotij erit Regi & Senatui, ut tantis malis aliquod leuamentum afferant, nè Rempublicam perire sinant. Sed hæc fortasse feliciores habebunt exitus, nam & ego iuuenis pares à Senibus accepi diuinationes, quæ si postea magna ex parte acciderunt, à supremo tamen exitio diuina benignitate hætenus defenditur.

Sed Senatoria Episcopi functio in his potissimum rebus consistit. In ea quæ illi sorte eueniet Prouincia, non magis nomine, quam re ostendat, se esse in ijs conuentibus, qui in eius Diocesi continentur, consilij Principem & moderatorem: pietate & eruditione (addo & liberalitate quantum facultates permiserint.) Præstanti Episcopo nemo hanc palmam inuidebit,

N

omnes

133
 Senatoria
 Episcopi di
 gnitas, in
 quo con
 sistat.

Omnes vt patrem venerabuntur, illique primas deferent partes; factiones nullas alat, discordes omni studio ad inuicem conciliare conetur, pari & communi in omnes propendeat amore, actiones eius omnes animi candore, & synceritate niteant, nemo subdolum quicquam de illo suspicetur; neque porro quicquam suspicabitur, si cunctis constabit, Episcopo non Principis gratiam, non populi fauorem, non suas spes sperataque incrementa, sed solam esse curæ salutem publicam. Familiaritates & amicitias magnorum virorum, officijs statum suum non dedecentibus parabit, easque fide syncera tuebitur & conseruabit, nec interdum amicorum causa laborem & iter suscipere recuset, eosque sibi demereri studeat. Conuentus particulares suæ Diocesis, obire non intermittat, & vni quidem vbi commodum fuerit, eorum intersit, in alijs per amicos necessariosque suos sibi Rempub. esse curæ declaret. Ad publica Regni Comitia veniat, in ijs liberè sententiam suam explicet, accommodatam maximè ad præsentem Reipublicæ statum. Omnino aureum illud Ciceronis dictum, in animis cum omnium Senatorum, tum Episcoporum præcipuè semper hæ-rere velim; Vt enim, inquit ille, gubernatori cursus secundus, medico salus, Imperatori victoria, sic moderatori Reipublicæ beata ciuium vita proposita est, vt opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Huius enim operis maximi inter homines, atque optimi, illum esse effectorem volo. Omnino, inquit idem alibi, qui Reipublicæ præfutura sunt, duo Platonis præcepta teneant. vnum vt utilitatem ciuium sic tueantur, vt quidquid agunt,

ad

139
 Optimi Sen-
 natoris in
 Reipub.
 functione
 partes.

ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum vt totum corpus Reipublicæ curent, nè dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant: vt enim tutela, sic procuratio Reipublicæ ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa, gerenda est. Qui autem parti ciuium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in Rempublicam inducunt, seditionem atque discordiam; ex quo euenit, vt alij populares, alij studiosi optimi cuiusque videantur, pauci vniuersorum. Hæc ille. Imaginem mihi expressisse videtur status Reipublicæ nostræ & presentium temporum, in tot factiones diuiso Reipub. Polonæ corpore, in qua videmus plebrosque velle & populo placere & Regi, diuersarum factionum simulatores: hi & populares insunt lituos, & Principi quasi omnia possint, ita se venditant, vt nisi sibi suisque beneficia ab eo extorqueant, suos folles non quieturos ostendant. Nunquam hac arte vtetur Episcopus, nunquam eò se demittet, vt simulatione omnibus se accommodet, laudanda laudet, improbanda improbet, amore non odio. Eum publicam salutem curantem, opinione integritatis & Principi & populo commendatum, Reipublicæ item non rudem, sed sententiam suam rationibus & exemplis ex optimo quoque Rerumpublicarum statu, & euentu peritis confirmare scientem, & ante omnia synceræ pietatis fama conspicuum, omnes venerabuntur, seque & sua illi libenter permittent, illi vni fidem habebunt, eius consilijs priuatim & publicè acquiescent.

140

Sed ante omnia meminerit Episcopus se idcirco

141

N 2

in

Episcopo-
rum est in
primis iura
Ecclesie
seruari,

Contra ea
quæ passim
Ecclesiasti-
cis in Po-
lonia obji-
ci solent.

142
Legibus ini-
quis contra
ire,

in Senatû Principem locum tenere, vt iura Ecclesie tueatur. Hęc imprimis exactè illi nota sint, controuersiasque & lites omnes Ordini nostro ab Equestrimotas perspectas habeat, sæpè illi hoc nomine certamen subeundum erit, sæpè pro aris sacris contendendum. In conuiujs, in confessibus, hæc potissimum pertractatur materia, quòd spirituales coëmptionibus hæreditatum, magna ex parte nobilitatem & Rempub. subsidio seruitij militaris fraudauerint, quòd fiduciariorum suos, scultetos dictos, à quibus olim seruitium militare præstari fuisse solitum falsò plerique credunt, ab hoc onere subtraxerint, quòd decimarum iura malè vsurpent, quòd iurisdictione & poenis Ecclesiasticis nimium sæuiant, quòd possessionibus Ecclesiasticis maiorem partem Regni occupent. Hęc & alia falsò nobis imputata ab ignaris præsumptâ temeritate obijciuntur. Iam impiæ illæ leges, quas Hæretici & eorum fautores semiCatholici in Conuentibus, in comitijs summa contentione perferri vrgent, vt liceat cuiuis, quiduis credere, vt impietas ipsa & blasphemix & blasphemix securitatem lege publica cautam habeant. Ad hæc iure & rationibus ex iure & sacris Scripturis, ex institutis Patriæ, refellenda semper paratus esse debet Episcopus, neque vnquam illi committendum est, vt Dei & Ecclesie causam prodidisse videatur; etiam si fortunarum & vitæ immineat periculum constanter decertet, certissima fretus spe, vel Dei auxilium sibi adfuturum, vel si certè occumbendum erit, honestissimum & sacerdoti optabilem exitum se habiturum. Ea quidem Regis nostri est pietas, vt eo vi-
uente

Genere nihil ad eò aduersum timerè debeamus: Et deinceps etiam; constet modo Episcopis sua pietas, facile illi in Regno hoc Catholico sua & Ecclesiæ iura tenebunt.

Neque ego plura de hoc genere; ad vos nunc conuertor. Audistis ex me dictam penè vno impetu sententiam non diu meditata; rei; aliàs vberius & quasi per partes à me informabimini, quid vos agere oporteat, si quod futurum reor, hac omnium maxima & sanctissima dignitate aucti fueritis. Interea hæc sine mea ad vos paterna & domestica monita: Ambo mei alumni estis, vtrique si non profuit, certè non obfuit mea institutio, & hic vitæ cursus, quem me decurrere videtis. Me auctore venistis iam in aliquam & Reipub. & Principis notitiam, sacris Ordinibus initiati, altari Domini dedicati estis, dum vixero, vobis ego Dux & Magister ero, ornabo, promouebo. Nec enim dubito vos vicissim adnifuros, vt ei quam de vobis concepi opinioni & expectationi meæ respondeatis, me vita functo nabitis sine cortice, vobis ipsis enitendum contendendumque erit & propriæ innitendum virtuti. Non decurrunt qui vestris incrementis opponunt obicem, cursumque fortunarum vestrarum tardabunt: sic semper virtus non plano itinere, sed per ardua enititur, & vestra fors non tam improspera quam tarda futura est. Sed nec eo sine, vel Ecclesiæ, vel Principi nauanda est opera, vt opes & dignitates accrescant, meritorum hæc sunt additamenta quædã illa vera solidaque proemia, quæ vita functos manent, illud decus, illa gloria, optimo cuique calcar addere debet.

Pietate præ
sare.

143
Totius tractatus
Rationis
Epilogus;

ad præclaras actiones suscipiendas, ad vitam denique pro Ecclesia, pro Patria, pro Rege profundendam.

144

His verbis suum, ut meministi, ad nos biquod habitum sermonem Pstroconius noster conclusit. Mihi quidem tum non veniebat in mentem fore, ut aliquando hæc scripto comprehenderem, neque enim ut tum erant & res, & spes nostræ, futurum aliquando putabam, ut eiusmodi monita nobis v sui esse possent. Vberius quidem & multò locupletioribus exemplis instructam hanc materiam ille nobis proposuerat, quæ tot iam elapsis annis memoriâ meâ exciderunt; in tuo fortassis penu commodius reseruatâ pleraque, quæ à Pstroconio dicta sunt, suggeres & his nostris accommodabis. Erit non nemo, qui Pstroconium futura asseruisse mirabitur; sed homini in Repub. versato, & status illius gnaro, non admodum difficilis esse poterat diuination & vaticinatio ex coniecturis certis & manifestis. Suum equidem fortunæ ac vitæ etiam decursum talem, qualis euenit, euenturum sæpè nobis innuit, & supremo grauatus morbo, etiamsi nec vis mali tantoperè vrgeret, & medici meliora sponderent, ipse sui exitus certus, nullum alium admisit sermonem, nisi de morte, de supremis suis. Nos qui aderamus, mirati migrantis è vita constantiam, lætum hilaremque ipsius semper vultum contemplantabamur, illudque nobis Diui Hilarij dictum veniebat in mentem, eos potissimum, mortis metu concuti, qui, ut Sanctus hic ait, contuentes longam Dei patientiam, quæ in profectum salutis humanæ extenditur, aduersus conseruos insolescunt, & seculi

ma.

145
Quomodo
futura præ-
dixisse in-
telligendus
Pstroco-
nius.

Mors eius,
quam etiâ
præsciuerat,
valde
pia.

Comment.
in Matt.
cap. 20.

malis vitijſque ſe tradunt, præſentium tantum curam
 in cultu ventris exercentes. Sed cum minimè puta-
 bunt Dominus adueniet, eoſque à bonis quæ ſpon-
 derat diuidet, portionemque eorum cum hypocritis
 in poenæ æternitate conſtituet, quia aduentum de-
 ſperauerint, quia mandatis non obtemperauerint,
 quia præſentibus ſtuduerint, quia vita gentium vi-
 xerint, quia deſperatione iudicij commiſſam ſibi fa-
 miliam, fame, ſiti, cæde vexauerint. Non ita moritur
 iuſtus, qui, vt Sanctus Gregorius ait, de ſua ſpe &
 operatione ſecurus, pulſanti Domino conſeſtim ape-
 rit, quia lætus iudicem ſuſtinet, & cum tempus pro-
 pinquæ mortis aduenerit, de gloria retributionis hi-
 lareſcit. Talis erat exitus Pſtroconij noſtri, vt non
 morte triſtiſque illo dolore, qui ex diſſociatione ani-
 mæ à corpore naturaliter oriri ſolet, affici, ſed recta
 ex hac lachrymarum valle in cœlum, æternum iſthic
 victurus, migrare videretur. A beras tu, Reipub. cau-
 ſa cum Senatoribus, quibus ſimul cum Pſtroconio
 auctoritate Comitiorum Regni negocium Pruſſicum
 demandatum erat, in Pruſſiam profeſtus: ſæpè ille
 de te locutus, te ſæpè requiſiuit, te ſibi deeſſe doluit:
 hoc vnum nouiſſima in luce deſiderauère oculi eius,
 paucioribus quàm oportuit lachrymis compoſitus
 eſt, ego adſtiti morienti, ſupremumque eius excepi
 halitum, Pſtroconium quidem cum vitæ flore, tum
 opportunitate mortis diuino conſilio & ortum & ex-
 tinctum eſſe arbitror; licet enim ampliſſimis perfun-
 ctus honoribus, Vicecancellarij & Cancellarij Regni
 geſto munere, in ipſo aditu ſummæ dignitatis, floren-
 te ſtatu Reipub. ad quam ciuili motu perturbatam,
 pacan-

Hom. 19. in
 Euang.

146
 Opportuna
 Pſtroconij
 ex hæc vita
 migratio.


pacandam, plurimum consilij & autoritatis ille at-
 tulerat, in ipsa spe suscepti contra Moschos belli de-
 cessisset, neque quod maximè optabat, Sigismundum
 Regem omnium sui temporis Regum maximum, par-
 tâ de Moschis victoriâ, receptâ in potestatem gentis
 Vrbe Metropoli Moschouia, capto Smolensco, pro-
 pagatis finibus Regni, ad extremum Ossmani Tur-
 carum Imperatoris Europæ atque Asiæ opibus &
 copijs Regnum Poloniæ inuadentis feliciter coher-
 cito impetu, gloria fulgentem & victorem, eiusdem-
 que decoris socium & participem Vladislaum Prin-
 cipem Regium Regiæque indolis filium, domitorem
 Moschouia, terrorem barbarorum, Patriæ nostræ
 spem alteram conspicere potuisset: idem tamen festi-
 natæ mortis grande habet solatium, quod tot, quæ
 aliquantò post consecuta sunt mala non viderit.
 Non vidit Pstroconius tres exercitus conuersis si-
 gnis ex hostico, fines Regni transgressos, ab eisque
 laceratam Patriam, & per summum nefas per Ciues à
 Ciuibus exactum tributum, bona Ecclesiæ æstimata,
 & inaudito grauata censu, non ardentem inuidia Se-
 natum, non omnibus opibus coniuratione militari
 spoliata Rempublicam, & rapacissimi agminis cir-
 cumlata sæpius per vniuersum Regnum infesta sig-
 na. Non vidit Ducibus & præcipuis quibusque è
 prima Regni Nobilitate in Valachia cæsis, aut captis,
 amisso exercitu extrema spe pendentem publicam
 salutem; non denique Sacrum Optimi Regis caput
 à motæ mentis Sicario parricidiali petiit ictu. Sed
 Pstroconij ortum, vitam & exitum nos peculiari
 complexi sumus opere. Hunc de functione Episcopali
 habi-


habítum ab illo sermonem Tibi vni, optime frater, dicamus, Tu leges expendesq; & cum Tuis actionibus conferes. Liberè ego illius dicta executus sum, nam & illi, quos hæc offendere possent, iam pridem vita-functi sunt, & si quis eorum, qui superstites sunt, se notari falsò suspicatus fuerit, is non in se iactum rodet lapidem. Et Pstroconius, quem & ego, vt nôsti, in hoc opere secutus sum, in commemorandis virtutibus vniuscuiusq; non siluit nomen: vbi vitij aliquius mentio facienda erat, hoc sine authoris honoris detrimento carpebat. ita & sua laus constitit probis, & qui secus merentur, innoxia censurâ, sui admonentur officij.





hanc enim ad illud per totum vultum suum
 canit. Tu regis excelsis & cum Te adorant
 confitebuntur ego illis. Excelsis autem
 & illi quod se ostendit potentem in
 sancti loqui de illo sermo; per se per
 non tam facile inquit factis non in se
 dei laudem. Et Phisocis, quoniam & ego
 hoc opere factus sum in commotione
 per se ostendit non solum non
 eius merito factus est hoc in se ostendit
 deum enim caritatem & in se ostendit
 quod & quod se ostendit in se
 ostendit in se ostendit











Biblioteka Jagiełłońska



stdr0026782

